

ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS



QUORUM EDENDORUM CURAM GERIT
AD. ŠPALDÁK.



ANNUS IX. NR. 1—2.
1913.

LES »ACTA ACADEMIAE VELEHRADENSIS«
PARAISSENT QUATRE FOIS PAR AN.
(À PRAGUE II-505)



PRAGAE BOHEMORUM.

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS. TYPIS „ČESKOSLOVANSKÁ AKC. TISKÁRNA“ PRAGAE-I.186.

ACTA
ACADEMIAE VELEHRADENSIS

ANNUS IX.

OLOMUCII 1930.

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS. TYPIS GRAPHIA BRUNAE.

INDEX.

Pars I.

Jos. Vágner, Num s. Irenaeus testatus sit Primatum Romani Pontificis 1—22.

CONSPECTUS LITTERARUM AD ACADEMIAE STUDIA PERTINENTIUM: (*B. Spáčil*) **Adolf Harnack**, Der Geist der morgenländischen Kirche p. 22—23. — (*Jos. Lenner*) **Joh. Ernst**, Cyprian und das Papsttum 24—25. — (*B. Spáčil*) *Recherches de Science religieuse* 28. — (*A. Palmieri*) *Revue du clergé français* 28—30. — (*Domen. Prestifilippo*) **Gaet. Romano**, Cenni storici della Missione della Compagnia di Gesu in Grecia 115—116. — (*A. Palmieri*) **Adolfo Cellini**, L'autenzia del capo XXI. dell'evangelio giovanneo e la investitura di S. Pietro 116. — (*H. Auffroy*) **J. Claraz**, Le mariage des prêtres 116—117. — (*E. Hocedez*) **L. Choupin**, Valeur des Décisions Doctrinales et Disciplinaires du Saint-Siège 117. — **H. I. Hamilton**, The People of God 117—119. — (*A. Špaldák*) **Bury**, A History of the Eastern Roman Empire 119. — **J. B. Thibaut**, Monuments de la Notation Ekphonétique et Hagiopolite de l' Eglise Grecque 119—120. — **V. Jagić**, Entstehungsgeschichte der kirchenslavischen Sprache.² — **Paul Renaudin**, La doctrine de l' Assomption de la t. s. Vierge, sa définibilité... 120—121. — **W. Sanday**, The primitive Church and Reunion 121. — **Lefferd M. A. Haughwout**, A World Movement for Christian Unity 121—2. — **Echos d' Orient** 1909—1913 122—5. — **Theologische Quartalschrift** 1912, 1913 125. — **Revue Augustinienne** 1910 125. — **Katholik** 1912 125. — **Historisch-politische Blätter** 1912 125. — **Revue Bénédictine** 1912, 1913 125—6. — **Theologie und Glaube** 1914 126. — **La vie diocésaine de Malines** 1912 126. — **Bessarione** 1912 126. — **Theologische Studien und Kritiken** 1914 126. — **Bibliotheca Sacra** 1914 126—7. — **The Expositor** 1914 127. — **Russlands Kultur und Volkswirtschaft** 1913 127. — **Novi libri** 127—8.

VARIA: Interrogationes et Responsa: De IV. conuentu Velehradensi 30 — *Haluščynskyj*, De ordine s. Basilii. 128—9. — [Goeken], De orthodoxorum cum veteribus catholicis commercio 129—131.

Pars II.

Jos. Vraštil, Quomodo sacri Codicis bohemicus iubilaeum quingentorum annorum digne celebrandum sit... 31—44.

Vác. Seifert, De ss. Cyrilli et Methodii iurisdictione... 111—5.

Conspectus singulorum operum recentium:

BOHEMICA: (*A. Špaldák*) **Zd. Nejedlý**, Dějiny husitského zpěvu. 44—5. — (*Al. Kroess*) **Jiří Sahula**, Z husitství do protestantismu. 132—4. — (*A. Špaldák*) **Richard Špaček**, Ježíš Kristus jako božský Mesiáš a pravý Syn Boží dle synoptikův. 134. — **Ad. Patera & Ant. Podlaha**, Soupis rukopisů knihovny metropolitní kapitoly pražské. 134. — **Novi libri** 134—5.

POLONICA: (*A. Špaldák*) **Fr. Lisowski**, Słowa ustanowienia najśw. Sakramentu a Epikleza. 135—8. — (*M. Daněk*) **Cz. Sokolowski**, Życie dogmatu 138. — (*A. Špaldák*) **Novi libri** 138—40.

RUSSICA (*A. Palmieri*) **Stefan**, K voprosu o sistemě pravoslavnago xristianskago nraoučeniia 45—50. — (*A. Iščak*) **Serafim**, Monastyrskij obščezitelnyj ustav 50—3. — (*A. Palmieri*) **Pravoslavnyj Sobesēdnik** 1909. 53—8. — (*M. Haluščynskyj*) **Bogoslovskij Věstnik** 1910. 58—64. — (*A. Palmieri*) **Xristianskoe čtenie** 1908—12 65—110. — (*A. Špaldák*) **Vi. N. Straxov** Vtoroe poslanie sv. Ap.

Pavla k Tessalonikijcam 140—2. — **M. D. Priselkov.** Očerki po cerkovno-političeskoj istorii Kievskoj Rusi X—XII. vv. 142. — **A. S. Šmakov** Evrejskij vopros na sceně vseміrnoj istorii. 142—3. — (*M. Daněk*) **N. N. Glubokovskij,** Istoričeskoe položenie i značenje ličnosti Teodorita, episkopa kirskago. 143. — (*A. Špaldák*) **N. V. Pokrovskij** Očerki pamiatnikov xristianskago iskusstva i ikonografii 143. — **Pěsni** russkix sektantov mistikov. 143—4. — (*J. Pejška*) **V. Gerje,** Blažennyj Augustin. 144—6. — (*A. Špaldák*) **Izvestija Russkago Arxeologičeskago Obščestva v Konstantinopolē 1911. 1912** 146. — **Missionerskoe Obozrenie 1911.** 146—7. — **Golos Cerkvi 1913** 147. — **Xristianskij Vostok 1912** 147. — **Strannik 1913** 147—8. — **Cerkvi 1911** 148. — **Žurnaly Ministerstva Narodnago Prosvěščenija 1910.** 148. — (*Jos. Vágner*) **Libri a. 1912 editi** 148—77.

RUTHENICA. (*I. Cehelskyj*) **Biblioteka bohoslovska** 178. — **Biblioteka Nyvy** 178. — **Myxajlo Hruševskij** Istorija Ukrainy. Rusy 178—9. — **Libri recentiores** 179—81.

SERBO-CROATICA. **Glasnik Pravoslavne Crkve 1912.** 181. — **Glas Srp. Kr. Akademije II.** 181. — **Srp. Knjiž. Glasnik 1913** 181. — **Bogoslovski Glasnik 1912** 182. — **Bosanska Vila** 182. — **Glasnik Zemaljskog Muzeja u B. i H. 1912** 182. — **Arhiv za istoriju srpske pravoslavne karlovačke Mitropolije 1911.** 182. — **Libri recentiores** 182—3.

SLOVENICA. (*A. Jemelka*) **Voditelj v bogoslovnih vedah** 1910.

EXTERNA DE SLAVIS... p. 184.

IUDICIA QUAE DAM DE AAV. VOL. X.

„Au demeurant, presque tous ces travaux, j'entends ceux de la première partie aussi bien que de la seconde, sont remarquables par la richesse extraordinaire de la documentation, par la variété et la précision des références.“ **J. Forget:** *Revue d'Hist. ecclés.* p. 122—3.

„Die 18 Abhandlungen von besondern Verfassern behandeln die strittigen Probleme mit einer historischen und bibliographischen Gründlichkeit, die den Wert dieser Abhandlungen weit hinaushebt über das enge Gebiet der Dogmatik, und so für den Kulturhistoriker und Historiker, der tiefer in die Dinge zu sehem bestrebt ist, reichste Belehrung bietet.“ **R. Ganszyniec:** *Byzantinisch-Neugriechische Jahrbücher* I 418.

„In its immense erudition and in the accuracy and impartiality of its information, this collection of essays, which provides an exhaustive exposition of all the chief dogmatic special points concerning the nature of man and original sin, the treasure of merits, „schism“, the Church, the evolution of dogmas, the Holy Scriptures, the Holy Spirit, the ascension of the Mother of God, and the Holy Sacraments, acts in many respects as an excellent aid to mutual accurate knowlegde, giving as it does, objective explanations and guiding indications.“ **N. N. Glubokovskij:** *The Christian East* III 22.



Num s. Irenaeus testatus sit primatum Romani Pontificis.

Inter antiquissima ss. Patrum quae pro primatu romani episcopi afferuntur testimonia non ultimum locum tenet praeclarum illud s. Irenaei, episcopi lugdunensis, in opere eius „Adv. Haereses“ L. III. c. 3. n. 2. Quid mirum, si apud theologos catholicos solemne sit, iis vero, qui primatum et infallibilitatem episcopi romani negant, magnam paret difficultatem. Magnus exstat numerus dissertationum, quibus catholici theologi testimonium s. Irenaei contra theologorum protestantium decreta tuentur; verum explanationis theologorum orientalium vix unquam ratio est habita. Itaque non erit abs re, exposita de dicto s. Irenaei catholicorum sententia, considerare sententiam theologorum ecclesiae orientalis. Unum ex eis potissimum ante oculos habeo, Th. Kurganov, qui in opusculo suo¹⁾, recensitis aliorum sententiis novum argumenti nostri diluendi modum invenisse se gaudet. Statim initio pollicetur summam iudicii aequitatem scribens: „Non est necesse consilium ante conceptum nos persequi; patefactio merae veritatis, sine exaggeratione, sed etiam sine diminutione eiusdem inservire debet tam puritati doctrinae quam usui — et huic magis quam illi. Qua de causa adaequata assecutio mentis s. Irenaei de communicatione veritatis christianae, eius in mundo propagatione et incorrupta conservatione in ecclesia videtur esse maxime necessaria. Necessitas haec augetur etiam ex eo, quod media, a s. Irenaeo ad refutandam haeresim ostensa, possident universalem vim ad coarguendam et refutandam quamlibet falsam doctrinam²⁾. En pulchra verba christiani theologi; dolendum tantum, quod promissa non impleverit.

¹⁾ Th. Kurganov, Свидѣтельствоваель ли св. Ириней, епископъ лѳонскій, о приматствѣ и непогрѣшимомъ учительствѣ римской церкви, въ частности — ея Первосвященника? Казань 1893.

²⁾ Kurganov, l. c. p. 1—2.

Antequam tamen de ipso testimonio dico, pauca mihi videntur de s. Irenaei vita et scriptis exponenda.

Natus est s. Irenaeus Smyrnae c. a. 140, aliorum sententia a. 126—130. Vicinus certe fuit Apostolorum temporibus. Nam puer audivit Polycarpum³⁾ in Asia, Polycarpus autem Joannis Evangelistae fuit discipulus, a quo etiam episcopus Smyrnaeis datus, notus et aliis apostolis discipulisque, qui viderant et audiverant Dominum. Huius viri de Christi deque Christi discipulis sermones Irenaeus puer avidissimis imbibit auribus, ac penitus inscripsit cordi suo, sic ut senex etiam horum omnium, vividam ac praesentem retineret memoriam, quemadmodum ipse multis verbis testatur in litteris, quas scripsit ad Florinum⁴⁾.

Qua occasione et quo tempore in Galliam venerit, incertum est. A Pothino, episcopo lugdunensi, ordinatus est presbyter. Cum saeviretur in christianos sub Marco Aurelio, missus est a clero lugdunensi et viennensi Romam ad Eleutherum papam (175/76 ad 189) litteris honorificis⁵⁾ summopere commendatus, ut quaestio de prophetiis Montani, quibus ecclesiarum pax turbabatur, pontificis auctoritate componeretur. Pothino, qui senex 90 annorum glorioso martyrio eadem in persecutione vitam finierat a. 177, succedens in cathedra, tanto zelo et prudentia causam Christi egit, ut integram fere civitatem ad eiusdem converterit fidem. Orta sat acri controversia de tempore celebrandi paschatis inter Orientales et Occidentales⁶⁾, ipse „non solum nomine, sed etiam vitae instituto ac proposito pacificus (*Ειρηναῖος*)“⁴⁾ pro ecclesiarum pace litteras dedit ad Victorem, romanum pontificem (189—198/199), qui „omnes Asiae vicinarumque provinciarum ecclesias tamquam contraria rectae fidei sentientes a communione abscindere conatur, datisque litteris universos, qui illic erant fratres proscribit et ab

³⁾ „ὄν καὶ ἡμεῖς ἐωράκαμεν ἐν τῇ πρώτῃ ἡλικίᾳ, ἐπιπολὺ γὰρ παρέμεινε Ir., Adv. haereses III. 3. 4.

⁴⁾ Eusebius, Hist. Eccl. 5. 20. 4 sq.

⁵⁾ Eusebius l. c. 5. 4. 2.

⁶⁾ Utrique enim traditione apostolica nitebantur, non quod Apostolorum quisquam legem ea de re tulisset, sed quod exemplum eorum, tamquam legem sibi positam venerarentur discipuli. Asiani afferebant instituti sui auctores Ioannem apostolum, Philippum, unum e septem primis diaconis, Polycarpum, Melitonem aliosque praestantissimos viros. Romani e contra asserebant, Petrum et Paulum, Romae cum essent, pascha nunquam, nisi die dominica egisse. (Cf. Massueti dissertatio de s. Irenaei vita et gestis. Migne 7. 194.) Recte monet Irenaeus, rem, cum non ad fidem sed ad disciplinam pertineat, tanti momenti non esse, ut exinde pax Ecclesiae in summum discrimen vocetur.

unione Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiat. — Nec vero ad Victorem solum, sed et ad multos alios ecclesiarum antistites de quaestione proposita litteras in eandem sententiam misit⁷⁾. Conatus eius felicem eventum habuit, nam pax inter pontificem romanum et Orientales non est interrupta. Obiit circiter anno 202. A saeculo quinto tradunt, sub Septimio Severo martyrio eum coronatum esse⁸⁾.

Multa reliquit Irenaeus eruditionis zeliue pro fide catholica tuenda monumenta⁹⁾, e quibus celeberrimum et quod solum ad nostra usque tempora conservatum est opus, inscribitur: *Ἐλεγχος καὶ ἀνατροπή τῆς ψευδωνύμου γνώσεως*. Detectio et eversio falso cognominatae agnitionis, quod brevius inscribitur Libri (V) adversus haereses. Scriptum est lingua graeca, sed textus originalis, si fragmenta imprimis ex l. I.¹⁰⁾ excipias, periit: exstat tamen versio latina, barbaro ea quidem genere scribendi confecta, sed valde antiqua et admodum fidelis, ut nonnunquam demum facta iterum versione in linguam graecam clavis intellegentiae subministretur. Praeterea circiter 20 fragmenta eiusdem operis in versione syriaca ad nostra tempora pervenerunt. Typis hoc opus editum est primum cura Erasmi Roterodami Basileae 1526, qui pulchram hanc s. Irenaei ad scribam obtestationem operi praefixit: „Adiuro te, qui transcribis librum istum, per Dominum, Iesum Christum, et per gloriosum eius adventum, quo iudicaturus est vivos et mortuos, ut conferas postquam transcripseris, et emendes illum ad exemplar, unde scripsisti, diligentissime:

7) Eusebius l. c. 5, 24, 13.

8) Cf. de hac re O. Bardenhewer, Geschichte der altkirchlichen Literatur. Freiburg 1902. I. p. 498.

9) Erasmus in „Epistola nuncupatoria“, enumerans opera deperdita s. Irenaei dicit. „Scripsit enim librum ad Blastum de Schismate, alium ad Florinum, presbyterum ab ecclesia prolapsum, de Monarchia, sive quod Deus non sit conditor malorum... Scripsit autem et de ogdoade librum, quem eximie probat divus Hieronymus... Haec tantum viderat Eusebius. Hieronymus addit volumen breve contra Gentes, rursus aliud de disciplina. Item ad Martianum fratrem de apostolica praedicatione. Denique librum variorum tractatum. Ex his tam multis viri lucubrationibus solum hoc quod nunc damus (adv. haer.) seculorum invidia reliquum esse voluit.“

10) „Jetzt liegen, so viel bekannt, nur noch Fragmente des griechischen Textes vor, in Form von Citaten späterer Kirchenschriftsteller (Hippolytus, Eusebius, Epiphanius u. s. f.). Das erste der fünf Bücher .. lässt sich aus solchen Citaten ziemlich vollständig wiederherstellen.“ Bardenhewer, l. c. p. 500.

hanc quoque obtestationem similiter transferas, ut invenisti in exemplari¹¹⁾).

Accurate in hoc opere s. Irenaeus Gnosticorum inde a Simone Mago communi eorum parente, maxime vero Valentinianorum somnia abstrusa exponit: unde a Tertulliano¹²⁾ „omnium doctrinarum curiosissimus explorator“ meruit appellari. In refutandis Gnosticismi haeresibus et erroribus Irenaeus doctrinam de ecclesia eiusque magisterio tam ample tantaque cum certitudine et claritate explicat, ut praecipue eius liber III. primus tractatus de ecclesia vocari possit.

Theologi protestantes Irenaeum existimare solent primum testem orientis catholicismi romani. At Irenaeus etiam atque etiam profitetur, nihil se velle nisi veritatem fidei, quam ecclesia ab Apostolis acceperit et, quamvis diffusa per totum mundum, puram et integram servaverit, contra Gnosticorum tentamina defendere. Neque credi potest Irenaeum quicquam docere voluisse, quod cum omnium illius aetatis christianorum de re nota sententia pugnaret. Quare Irenaei testimonium etiam totius aetatis testimonium habendum est.

Inter notas, quibus vera Christi ecclesia, quae sola a Christo traditam veritatem conservat, ab haereticis et schismaticis sectis dignoscatur, s. Irenaeus etiam atque etiam eius unitatem extollit. Unitatis notam solius Ecclesiae catholicae esse propriam, qua ab haereticis ac schismaticis omnibus discernatur, adeo Irenaeo persuasum est, ut in hac arce tutissimum defensionis fidei praesidium esse ei videatur, ideoque initium disputandi hinc ducat. „Hanc praedicationem“, inquit¹³⁾, cum acceperit et hanc fidem, quemadmodum praediximus, Ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit, quasi unam domum inhabitans: et similiter credit iis, videlicet quasi unam animam habens, et unum cor: et consonanter haec praedicat, et docet, et tradit, quasi unum possidens os. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen virtus traditionis una et eadem est. Et neque hae quae in Germania sunt fundatae Ecclesiae aliter credunt aut aliter tradunt; neque hae quae in Hiberis sunt, neque hae quae

¹¹⁾ Haec tamen obtestatio habetur in opere S. Irenaei nunc deperdito: „De ogdoade“

¹²⁾ Adv. Valent. c. 5. Cf. H. Hurter S. I., Nomenclator literarius theol. cath., Oeniponte 1903. I. col. 89.

¹³⁾ Adv. haer. I. 10. 2; M 7. 551.

in Celtis, neque hae quae in Oriente, neque hae quae in Aegypto, neque hae in Libya, neque hae quae in medio mundi¹⁴⁾ constitutae: sed sicut sol, creatura Dei, in universo mundo unus et idem, sic et lumen, praedicatio veritatis, ubique lucet, et illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire“. — Et quamquam non eadem omnium Ecclesiae antistitum virtus atque ingenium, aliique aliis doctiores et disertiores sunt, eadem tamen omnium doctrina est. „Cum enim una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea potest dicere, ampliat; neque is qui minus, deminorat“¹⁵⁾. Et alio loco¹⁶⁾ dicit: „Eorum autem qui ab Ecclesia sunt, semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab Apostolis traditionem, et videre notis donans omnium unam eandem esse fidem, omnium unum et eundem Deum Patrem praecipientibus, et eandem dispositionem incarnationis Filii Dei credentibus, et eandem donationem Spiritus scientibus, et eadem meditantibus praeepta, et eandem figuram eius, quae est erga Ecclesiam, ordinationis (i. e. eandem regiminis ecclesiastici formam) custodientibus, et eundem exspectantibus adventum domini, et eandem salutem totius hominis, id est animae et corporis sustinentibus. Et Ecclesiae praedicatio vera et firma, apud quam una et eadem salutis via in universo mundo ostenditur“.

Quantopere haec Ecclesiae unitas discrepat a variis sententiis haereticorum! Nam „necessitatem habent praedicti haeretici, quoniam sunt caeci ad veritatem, alteram et alteram ambulare exorbitantes viam; et propter hoc inconsonanter et inconsequenter dispersa sunt vestigia doctrinae ipsorum“¹⁷⁾. „Nos“, inquit Irenaeus¹⁸⁾, „unum et solum verum Deum doctorem sequentes, et regulam veritatis habentes eius sermones, de iisdem semper eadem dicimus omnes“. Illi vero „non bene sentientes, interim tamen semetipsos arguunt, de iisdem verbis non consentientes“¹⁹⁾. Si autem quaeris, quae causa sit tantae apud haereticos sentiendae licentiae, hanc affert Irenaeus: „Non enim sunt fundati super unam petram, sed super arenam, habentem in seipsa lapides multos“;²⁰⁾

¹⁴⁾ Ecclesiam Hierosolymitanam et alias Palaestinenses Irenaeus his verbis significat. Palaestinam enim in medio mundo sitam esse veteres Christiani statuebant.

¹⁵⁾ Ibidem.

¹⁶⁾ Adv. haer. V. 20. 1; M 7. 1177.

¹⁷⁾ Adv. haer. V. 20. 1; M 7. 1177.

¹⁸⁾ Ibidem IV. 35. 4; M 7. 1089.

¹⁹⁾ Cf. etiam I. 9. 5; II. 1; 21. 5; M 7. 547; 559; 666 sq.

²⁰⁾ Adv. haer. III. 24. 2; M 7. 957.

„... multi ex ipsis, imo omnes velint doctores esse et abscedere quidem ab haeresi in qua fuerunt, aliud autem dogma ab alia sententia, et deinceps alteram ab altera componentes, nova docere insistent, semetipsos adinventores sententiae, quamcumque compegerint, enarrantes“²¹⁾

Haec fidei et doctrinae unitas traditione apostolica continetur, quae una et eadem, pura et integra in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre“²²⁾. Ratio huius sententiae altera est haec, quod in singulis ecclesiis apostolicis conservata est continua successio apostolica, altera, quod qui succedunt Apostolis in hisce ecclesiis in eadem doctrina conveniunt²³⁾. Tamen necesse non est singulas hasce Ecclesias adire, ut successionis catalogos, qui in archivis earum asservantur, evolvamus et singularum sententiam exploremus; longius id esset multisque difficultatibus obnoxium; expeditior ac brevior via patet. Ut enim unitas inter tot episcopos totque singulares ecclesias, tam longe inter se distantes, attentis hominum indole, rationis humanae infirmitate, fidei difficultate, obscuritate s. Scripturae, quibus fieri non potest, quin saepe oboriantur controversiae de rerum revelatarum ambitu, vi etc., id quod evenisse ex historia dogmatum manifesto cognoscitur, Christus Dominus unam aliquam inter omnes instituit ecclesiam, quae ceteris omnibus praeesset, a qua aliae omnes eandem fidei normam acciperent. Cognita igitur huius primae ecclesiae sententia, manifesta est etiam ceterarum ecclesiarum particularium fides. Porro, hanc ecclesiam esse Romanam, Irenaeo omnino persuasum erat. Itaque unius Ecclesiae Romanae traditionem per continuam episcoporum successionem in ea conservatam consulti satis esse iudicavit, ut haereticos omnes confunderet. „Quoniam“, inquit, „valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem, et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibi placentia, vel per vanam gloriam,

²¹⁾ Ibidem I. 28. 1; M 7. 690.

²²⁾ Ibidem III. 3. 1; M 7. 848.

²³⁾ Cf. Adv. haer. III. 3. 1; III. 2. 2; IV. 26. 3—5; M 7. 848, 847, 1054 ad 1056.

vel per caecitatem et malam sententiam, praeterquam oportet colligunt (i. praeter ius fasque conventus faciunt). *Ad hanc enim Ecclesiam propter potiore (vel potentiorem) principalem necessesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique, fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis, traditio*²⁴⁾.

En ille locus s. Irenaei, cuius pondus ut declinent, nullum lapidem non movent omnes ii, qui a catholica fide simul et oboedientia abalienati sunt, ut ἀκέφαλα sibi conventicula constituerent. Textus graecus ad nos non pervenit; habemus tamen in Maximi martyris, qui alium quoque Irenaei locum memoriae prodidit (M 91. 276.), epistula, locum, in quo Maximus verba Irenaei adhibuisse videri potest²⁵⁾.

Πάντα γὰρ τὰ πέρατα τῆς οἰκουμένης, καὶ οἱ ὀρθοδόξως πανταχοῦ γῆς δμολογοῦντες, ὡσπερ εἰς ἡλιον φωτὸς αἰθίου εἰς τὴν Ῥωμαίων ἀγιωτάτην ἐκκλησίαν καὶ τὴν αὐτῆς δμολογίαν καὶ πίστιν, ἰδυτενῶς ἀποβλέπουσιν, ἐξ αὐτῆς τὴν ἀπαστράπτουσαν αἴγλην προσδεχόμενοι, τῶν πατρικῶν καὶ ἀγίων δογματίων. Ἀπαρχῆς γὰρ τῆς πρὸς ἡμᾶς καταβάσεως τοῦ σακρωθέντος Θεοῦ Λόγου, μόνην κρηπίδα καὶ θεμέλιον αἱ πᾶσαι πανταχοῦ τῶν χριστιανῶν ἐκκλησίαι, τὴν αὐτόθι μεγίστην ἐκτίσαντό τε καὶ ἔχουσιν ὡς οὐδαμῶς μὲν καισυχρομένην κατὰ τὴν αὐτὴν τοῦ Σωτῆρος ἐπαγγελίαν, ὑπὸ ἔθου πυλῶν ἄλλ' ἔχουσιν τὰς κλεῖς τῆς εἰς αὐτὸν ὀρθοδόξου πίστεως καὶ δμολογίας καὶ τοῖς εὐσεβῶς προσερχομένοις ἀνοίγουσαν τὴν ὄντως φύσει καὶ μόνην εὐσέβειαν ἀποκλείουσαν δὲ καὶ ἐμφράπτουσαν πᾶν αἰρετικὸν στόμα, λαλοῦν ἀδικίαν εἰς τὸ ὕψος.

Omnes enim orbis terrarum fines, et qui ubique gentium Dominum vere rectaque fide confitentur, velut in solem sempiternae lucis in sanctissimam romanam ecclesiam, eiusque confessionem ac fidem recta intortis oculis respiciunt, ex ipsa effulgurans exspectantes iubar, Patrum doctrinae sanctorumque . . . Ab initio enim quando ad nos Dei Verbum assumpta carne descendit, unicam firmam basin ac fundamentum, omnes ubique christianorum ecclesiae, quae ibi est, maximam nactae sunt, habentque ecclesiam, ut in quam iuxta ipsam Salvatoris promissionem portae inferi haud quaquam praevaluerint; sed quae rectae fidei in ipsum ac confessionis claves habeat, hisque, qui cum pietate accedant, quae vere natura est, solamque pietatem aperiat, claudat vero atque obstruat omne os haereticorum, iniustitiam loquens in excelso.²⁶⁾

Viri docti theologi atque historici catholicorum omnes consentiunt s. Irenaei verba hoc modo esse explicanda: Cum eccle-

²⁴⁾ Adv. haer. III. 3. 2; M 7. 848—9 (Textus receptus; de coniecturis alibi).

²⁵⁾ A. Straub, De Ecclesia Christi. Oeniponte 1912. II. p. 362.

²⁶⁾ Maximus martyr: Epistola Romae scripta; M 91, 138 s.

sia romana propter eius auctoritatem apud alias ecclesias necessario consentit et consentire debet omnis particularis ecclesia (qui sunt undique fideles), si modo vere fidelis manere vult, ideoque per hanc romanam ecclesiam²⁷⁾ traditio in singulis particularibus ecclesiis integra conservata est et conservatur.

Num hanc catholicorum sententiam vere s. Irenaeus significare verbis illis voluerit, quaerendum est accurate considerando singula verba²⁸⁾.

1. Voce „enim“ significatur propositum scriptoris demonstrandi sententia addita id, quod dixit: satis esse inquiri in fidem ecclesiae romanae. Itaque ad hoc probandum primum commemoratur dignitas ecclesiae romanae, quam rationem iam in enuntian- da sententia ipsa, ut fieri solet, indicavit, cum eam maximam appellaret. Non appellat eam maximam elative sed superlative comparans eam cum omnibus aliis ecclesiis seu maximam simpliciter, utpote tenentem potiore principalitatem; quare dubium non est, quin Irenaeus graecam vocem (ut in ep. Maximi occurrit) τῆς μεγίστης usurpaverit. Accedit laus eiusdem ecclesiae ut anti- quissimae; antiquum vel ἀρχαῖον utique Irenaeo est saepissi- me idem atque id, quod vetustate excellit, sed quia in ecclesia vetustate simpliciter illud excellit, quod iam apostolicum est, apud Irenaeum, loquentem de ecclesia, antiquus status — τὸ ἀρχαῖον σύστημα — idem significat ac vicens ab Apostolis, et antiquissi- mae ecclesiae sunt simpliciter eadem, in quibus Apostoli ipsi conversati sunt (Adv. haer. III. 4. 1; M 7. 855). Quapropter etiam loco controverso ecclesia romana ob idem antiquissima vocatur, ob quod paulo post praedicatur, cum a gloriosissimis duobus apostolis Petro et Paulo Romae eam constitutam esse commemo- retur. Non vocari eam hic antiquissimam ideo, quod constituta sit ante ceteras, simpliciter apparet ex eo, quod ipse Irenaeus (Adv. haer. III. 12. 14; M 7. 907) ecclesiam antiochenam antiquio- rem Romana esse novit et eodem in capite (III. 12. 5; M 7. 897) de ecclesia hierosolymitana dicit: „Αὐται φωναὶ τῆς Ἐκκλησίας, ἐξ ἧς πᾶσα ἔσχημεν Ἐκκλησία τὴν ἀρχήν“ Itaque ecclesia romana

²⁷⁾ Non omnes catholici consentiunt verba „in qua“ referenda esse ad ecclesiam Romanam. Cf. Seitz, *Modernistische Grundprobleme* p. 85.

²⁸⁾ Postremo verba s. Irenaei accuratissimo examini Dr. A. Straub subiecit, prof. universitatis Oenipontanae, in opere quod supra commemo- ravimus „De Eccl. Christi“ II. p. 358—380; quem etiam nos in hac re im- primis sequemur.

„antiquissima“ dicitur ut constituta ab apostolis singulariter vel praecipue.

2. Iam in argumento Irenaei ipso dignitas ecclesiae romanae, qua omni ecclesiae ad se revocandae par sit, significatur vocibus potioris vel potentioris principalitatis. Neque enim aliud verbum occurrit, ad quod haec principalitas referri possit nisi ecclesiae nomen. (Cf. Ottiger, Theol. fundam. II p. 634). Quae duae voces quid sibi vellent multum disputatum est. Apud Irenaeum verbum principari (II. 33. 4; 34. 4; M 7. 833. 837) occurrit valens idem ac praeesse. Occurrit adverbium principaliter (V. 27. 2; M 7. 1196), significans sive idem quod „primo“, „prius“, sive id quod „praecipue“. Occurrit septiesdecies adiectivum principalis, quo fere dignitatis excellentia, aliquoties etiam vetustatis propria laus significatur. Occurrit nomen principatus (7) saepius pro voce regni, aliquoties (5) pro voce principis regnantis. Occurrit ipsum nomen principalitatis, cui subiecta est vis principis, principatus concreti (I. 26. 1; 30. 8; 31. 1; II. 1. 2; 30. 9; IV. 35. 2 et 4; M 7. 686. 699. 704. 710. 822. 1087. 1088. 1089.), semel principatus vel imperii abstracti (IV. 38. 3; M 7. 1108).

Pro hoc usu vocis principalitatis Irenaeus videri potest adscribere ecclesiae romanae directe principatum vel imperium. Prof. Straub²⁹⁾ firmissimis rationibus ostendit, hac principalitatis voce redditam esse graecam ἀρχή. Porro ἀρχή in fragmentis graecis Irenaei vel principem significat, et quidem supremum (I. 8. 5; 9. 2; 11. 3; 21. 5; M 7. 532. 540. 565. 668), vel potestatem principis seu regnum (III. 21. 2;) vel initium (I. 9. 2.; III. 11. 8; 12. 5; 21. 2; IV. 38. 2; V. 3. 2; M 7. 541. 888. 897. 948. 1107. 1129. 1130.). Iam si princeps significatur loco, de quo agitur, potestas principis i. e. episcopi ecclesiae romanae in ecclesiam omnem una cum eo, penes quem est, enuntiatur non minus quam si significatur ipsa potestas. Alterutra autem significatio eo magis commendatur, quod in vetustissima versione, quae ad nos pervenit, in „principalitatis“ verbo inest vis potestatis et non initii. Significatione autem tertia (initii) ἀρχή cum declaratione addita apud Irenaeum eandem illam potestatem nihilominus significaret, quippe cum enuntiaret initium et originem ecclesiae romanae ta-

²⁹⁾ Straub. l. c. p. 364—365. Cf. etiam Griesbach, Opuscula II 166. — Stieren quidem (Opera s. Irenaei I. 429 adnot.) vocem ἀρχαιότητος hic usurpatam esse existimavit.

lem, qua etiam necessitas cum ea conveniendi ecclesiae omni inferretur. Neque enim sola origo apostolica ecclesiae romanae vera ratio esse potuit, quae pro omnibus omnino ecclesiis sufficeret. (Cf. Ottiger, Theol. fund. II p. 650).

Dicitur haec principalitas vel praestantia potior (vel secundum nonnullos codices manuscriptos potentior) non ideo maxime, quod ecclesia romana sit a duobus apostolis constituta, cum etiam in ecclesiis aliis duo apostoli, velut in ephesia Paulus et Ioannes (III. 3. 4; M 7. 854—5), commemorati sint, et tamen ratio ab Irenaeo hac voce indicata non de ecclesia occidentali tantum sed de universa valere debeat, quia omnem ecclesiam ad romanam convenire debere efficere vult; nec repetenda est a virtutibus vel donis, quae Petri et Pauli propria erant, cum illa praestantia duratura iudicetur. Ratio praestantiae idonea ea est, quod Petrus ecclesiae romanae a se institutae suam potiore potestatem apostolicam in perpetuum reliquit. Eandem principalitatem potiore ecclesiae romanae laudibus effert Cyprianus³⁰⁾ Petri cathedram atque ecclesiam principalem appellans, unde unitas sacerdotalis exorta sit, celebrat Augustinus praedicans apostolatus Petri principatum cuilibet episcopatu praefendum³¹⁾, vel apostolicae cathedrae principatum semper in romana ecclesia vigentem³²⁾, praedicat Maximus, describens ecclesiam romanam tamquam unicam basim ac fundamentum omnium ecclesiarum ac potestate clavium fidei ad aperiendum vel claudendum omnibus praeditam³³⁾.

3. Propter hanc potiore principalitatem necesse est ecclesiam omnem ad romanam non dico „advenire“, ut paulo post (n. 4.) commemoratur Polycarpum advenisse in urbem, ἐπιδημήσας τῇ Ῥώμῃ, vel „venire“, ἔρχεσθαι (cf. fragm. ep. Irenaei ad Victorem; M. 7. 1229), sed „convenire“. Verbum hoc latinum duplicem intellectum habet: naturalis et principalis significatio est: convenire complures in unum locum corporibus, transfertur autem etiam ad conveniendum animo i. e. consentiendum. Hac translatione apud Irenaei latinum interpretem homines in unam cohortem fidei convenientes commemorantur (IV. 2, 3; M. 7, 1045), inter homines convenire consentiendo significatur (ib. c. 35. 4; M 7, 1089), res

³⁰⁾ S. Cyprianus, Ep. n. 14.

³¹⁾ S. Aug., De baptismo I. 2. c. 1. n. 2; M 43. 127.

³²⁾ Idem, Ep. 43. 3. 7; M 33. 163.

³³⁾ Maximus loco quem supra attulimus.

aliqua alteri convenire pariter atque consonare dicitur (II. 24. 3; 25. 2; III. 12. 9 et 11; IV. 36.6; M. 7. 792, 798, 904, 905, 1096). Graecum verbum hoc loco fuit *συνιέναι* vel *συνέρχεσθαι* vel *συμφωνεῖν* vel *συμβαίνειν*, quae omnia ipsam quoque consensionem significare possunt. Praepositio non erat *ἐπί*, pro qua interpres constanter utitur „in“ praepositione (I. 6, 3; III. 21. 2; M 7.508.948). Sin autem Maximus l. c. ipsum verbum servavit, non sententiam solam integram memoriae prodidit, Irenaeus scripserat *προσερχεσθαι*, quod verbum cum *πρός* praepositione vel cum dativo coniunctum praeter accessum alium quemlibet ad aliquem vel ad aliquid significat aliquem adire, aliquem convenire ex industria, ad rem aliquam tractandam vel impetrandam (ut Matth. 5. 1; 27. 58; Luc. 23. 52; Act. 9. 1; Hebr. 4. 16),³⁴⁾ vel etiam accedere communionis causa adhaerendo, obsequendo, consentiendo, quemadmodum in s. Scriptura homines dicuntur accedere ad Dominum, lapidem vivum superaedificandi, ad Deum, ad Sion montem et civitatem Dei viventis (1. Pet. 2. 3. sq.; Heb. 7. 25; 11.6; 12. 22; cf. Io. 6. 35. 37; 14. 23); et a Clemente Romano (ep. 1. ad Corinth. 33. 63) iubentur accedere ad voluntatem Domini vel talibus et tantis exemplis, et in fragmento Hippolyti (ad Ruth 2, 9. 14; ed. Berol. I., II., p. 120). aetati Irenaei supparis, dicuntur *οἱ γὰρ πιστοὶ πρὸς τὸ εὐαγγέλιον προσερχόμενοι*, fideles qui evangelio accedunt, i. e., evangelio consentiunt, se ad id conformant, eius auctoritatem sequuntur. Quapropter Irenaeus, si non significat directe ipsam consensionem, convenientiam, unitatem in rebus fidei retinendam, saltem adiri ecclesiam romanam de rebus sacris a praesentibus vel per internum vel per litteras non quocumque modo sed eo animo, ut assentiantur responsis ab hac potiore ecclesia dandis, id quod apud Maximum (l. c.) est accedere *εὐσεβῶς*, cum pietate, qua ipse Maximus in causa Monotheletarum Romam adiit. Modo alterutro — utro haud multum interest — dictum Irenaei accipiendum est.³⁵⁾ Non enim posse significari hic solum physicum conventum apparet, cum ob principalitatem ecclesiae convenire fideles Romam vel potius ad ecclesiam romanam dicatur; idem inde efficitur, quod inepta esset Irenaei argumentatio, si ex hoc, quod singulae

³⁴⁾ Ἰδὼν δὲ τοὺς ὄχλους ἀνέβη εἰς τὸ ὄρος · καὶ καθίσαντος αὐτοῦ προσήλθαν (προσῆλθον) αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ. Videns autem Iesus turbas, ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius. . . Matth. 5. 1. Οὗτος (Ἰωσήφ) προσελθὼν τῷ Πειλάτῳ ἤτησατο τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ. Hic accessit ad P., et petiit corpus I. Matth. 27. 58. et Luc. 23. 52.

³⁵⁾ Cf. Straub l. c. II. 368—369.

ecclesiae Romam legatos mittere debuisse: qui apud gentiles imperatores christianorum causam agerent, vel ex hoc, quod urbis copiae ac thesauri multos undique christianos ad Romam visendam allexissent, argumentum sumpsisset ad demonstrandum omnes ecclesias particulares in eadem fidem convenire, quam Romana ecclesia profiteretur. (Cf. *Ottiger*, Theol. fund. II p. 634). Etenim singuli fideles vel singulae ecclesiae cum falli omnes seorsum sumptae possint, ecclesiam romanam, nisi ipsa firma est, nedum contineant in veritate, facile vel facilius erroribus inficiunt. (*Straub*, De eccl. II, p. 376.)

4. Videamus porro, quid sibi velit illud „necesse est“, de quo gravissimae controversiae exortae sunt non solum inter theologos catholicos ac protestantes sed inter catholicos ipsos. Cum interpretes verbum graecum *δεῖν* constanter reddat vocabulo „oportet“, *ἀνάγκη ἐστίν* vero et *ἀναγκαῖον* verbis „necesse est“, dubium non est, quin scriptor ipse hoc alterum usurpaverit. *Δεῖν* aliquod officium, sive debitum sive religionem, *ἀναγκαῖον* vel *ἀνάγκη* necessitatem significat physicam (logicam, naturalem). Nonnulli scriptores³⁶⁾ ostendere conantur, vocabulum *ἀναγκαῖον* vel *ἀνάγκη* posse etiam officium significare. Non negamus hoc, sed significationem propriam dicimus pertinere ad necessitatem naturalem vel logicam. Etiam hoc de quo agimus loco tantum abest ut haec significatio removenda sit, ut posci videatur. Nam ut consentiant ecclesiae cum ecclesia romana, quae propter sedem Petri re ipsa principalis est, non merum earum officium est, sed spectatis rationibus quas supra attulimus, ab ipsa ecclesiae natura postulatur. Ergo necessitas convenientiae, quam Irenaeus praedicat, ecclesiae omnis cum romana etsi non est necessitas metaphysica tamen est vera necessitas naturalis, quae ipsis rebus ita contineatur, ut evitari non possit. Similis est illi necessitati, qua hominibus omnibus vera ecclesia sequenda est.

5. Cum ecclesia romana necesse est conveniat omnis ecclesia, i. e. singulae ecclesiae particulares. Cum opponat ecclesiam omnem ecclesiae romanae Irenaeus non videtur significare ecclesiam universam hac voce sed omnes ecclesias particulares; neque enim contra afferri potest brevi post hanc eandem „omnem ecclesiam“ vocari *τὴν ἐκκλησίαν* ab apostolis institutam; non enim ad „omnem ecclesiam“ sed ad romanam hoc refertur (cf. *Ottiger*, Theol. fund. II,

³⁶⁾ Velut Chr. Pesch S. I. Praelectiones dogmaticae I⁴, Friburgi 1911. p. 330.

p. 642). Cui autem addit: i. e. qui sunt undique fideles? Non ut vocabulum ignotum explicet, aut ut notionem, quam nomen romanae ecclesiae in mente nostra primum gignit, corrigat, sed ut vel modum significet, quo singulae ecclesiae ad romanam convenire debeant vel rationem indicet, cur necesse sit omnes ecclesias a romana informari. Certe autem non intelleguntur fideles ut ecclesiarum vices gerentes vel partem agentes et Romam convenientes.

Adverbium „undique“, graece πανταχόθεν, sic usurpatur apud Irenaeum, ut nonnunquam (III. 24. 1; M 7. 966)³⁷⁾ sit idem atque ubique. Recte tamen dicit *Straub*³⁸⁾ Irenaeum hic, duce Scriptura, fideles undique potius quam ubique existentes appellare, cum vocatio ad ecclesiam sit electio quaedam. Irenaeus electionem fidelium ex paganis et vocationem ad veram fidem ante oculos habuit sicut dicit: undique vocati. Itaque Irenaeus indicabat, omnes fideles, ex universis gentibus convocatos (IV. 36. 5; M. 7 1095) et in ecclesiis particularibus coniunctos, debere cum ecclesia romana consentire, in qua seu per quam conservaverint sibi traditionem apostolicam.

6. „In qua“ referendum esse ad ecclesiam romanam et non ad ecclesiam universalem vel quamcumque ecclesiam particularem his rationibus probatur. Si ad „omnem ecclesiam“ referretur, illud „qua“ aut esset explicativum aut circumscriptivum seu restrictivum. Si significaretur in „omni ecclesia“ conservatam esse veram doctrinam, Irenaeus, cum diceret ad romanam ecclesiam recurrendum esse, sine ratione romanam aliis ecclesiis praetulisset. Praeterea ratio, ob quam haec relativa enuntiatio adderetur, non potuisset esse alia nisi quod romana ecclesia ab universa ecclesia instrueretur ideoque necessario eandem teneret doctrinam, quam ecclesia universa. At „purioris doctrinae conservationem Irenaeus semper attribuit episcoporum in ecclesiis successioni non interruptae, numquam peregrinorum hominum vigilantiae. Sic hoc ipso, de quo agimus capite, postquam romanorum episcoporum seriem descripsit, ita perorat: „hac ordinatione et successione ea, quae est ab apostolis in ecclesia traditio et veritatis praeconatio, pervenit usque ad nos“ *Ottiger*, Theol. fund. p. 640 (secutus *Gris-*

³⁷⁾ Cf.: „Praedicationem vero Ecclesiae undique constantem. “ (III. 24. 1) et de eadem praedicatione: „Sicut sol in universo mundo unus et idem est, sic et praedicatio veritatis ubique lucet“. (I. 10. 2).

³⁸⁾ *Straub*, l. c. II. p. 371.

bachium Opusc. academ. II. p. 164). Denique sequeretur omnes ecclesias particulares ab Irenaeo haberi natura sua infallibiles, quod quam falsum esset, Irenaeus eo tempore iam cognoverat.

Sin autem illo „in qua“ significaretur non in omni ecclesia fidem conservatam esse, Irenaeus inepte argumentatus esset. Nam per se patet ecclesias, quae doctrinam apostolicam integram conservaverint, consentire cum ecclesia romana in doctrina, si haec quoque doctrinam apostolicam teneat. Neque enim solum id efficere voluit Irenaeus, ecclesiae romanae testimonium maiorem vim habere ad persuadendum quam testimonia aliarum singularum ecclesiarum, sed loco omnium ecclesiarum satis esse consuli ecclesiam romanam. Praeterea hic scriptor numquam sectas haereticorum ecclesias vocat; atqui, si distingueret ecclesias, in quibus semper conservata est fides, ab ecclesiis, in quibus conservata non est, non id dixisset ecclesias nonnullas a fide defecisse ac desiisse esse ecclesias, sed vere esse ecclesias, quae ab aliis ecclesiis doctrina differrent. (Cf. *Ottiger*, Theol. fund. II, p. 645). Denique sine ratione vocem ‚semper‘ Irenaeus addidisset; nam sive semper sive non semper aliqua ecclesia orthodoxa fuit, si modo nunc orthodoxa est, necessario in doctrina cum ecclesia romana convenit. (Cf. *Straub* II, p. 378).

Restat igitur, ut ad ecclesiam romanam referendum sit illud „in qua“. Per quam ubique conservatam esse veram doctrinam omnino recte dici potuit; et Irenaeus quidem ipse paulo post exponit, qua ratione ecclesia romana traditionem apostolicam in aliis ecclesiis conservaverit (Adv. haer. 3, 3. 3). (Cf. *Ottiger*, Theol. fund. II, 643—4.) Addita sunt igitur haec verba „in qua... conservata est“ ad significandum effectum potioris principalitatis ecclesiae romanae. (Cf. *Döllinger*, Gesch. der christl. Kirche I 356).

„In“ praepositio insuper non habet vim localem, sed significationem causae vel rationis, ita ut sententia sit: per docentem ecclesiam romanam traditio in quavis ecclesia particulari conservata est. Causalis haec significatio „in“ praepositionis apud Irenaei interpretem occurrit frequentissima. Talis usus vulgaris est in ipsa s. Scriptura et veteris et novi testamenti. Ut aliqua saltem exempla adferam, Christus dicit apud Matth. 4. 4: „Non in solo pane (ἐπὶ ἄρτι μόνῳ) vivit homo, sed in omni verbo...“ Eph. 6. 16. „Sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere...“ et ita innumeris locis.

Haec de eis verbis, quae certa sunt. Restat, ut coniecturas recenseamus; cum enim nulla earum pugnet cum sententia, quam nos Irenaeum verbis suis subiecisse contendimus, decerni, quae veri simillima sit, opus esse non videtur. Tamen certe luculentius testimonium evadere hoc modo posset, si eiusmodi coniecturae certitudinis gradum consequi possent. Itaque verba illa iterum posita „qui sunt undique“, cum a plerisque pro genuinis habentur, a multis librorum culpa depravata esse dicuntur. Quidam dittographiae haec verba tribuenda esse affirmant et alii alia eorum loco a s. Irenaeo posita fuisse existimant. *G. Morin* quidem in *Revue Bénéd.* 1908, 515—520 exponit legendum esse: in qua semper ab his conservata est; in *ZNW* 1906, p. 193 sq. legendum existimatur: ab his, qui successionem habent ab apostolis; *J. Mausbach* in *Th. Rev.* 1909, p. legendum putat: pro his qui undique sunt (*ὅπερ τῶν πανταχόθεν*); *J. Stigmayer* in *Kath.* 1909. I 401—405 Irenaeum scripsisse conicit: *εἰς ἣν ἀεὶ ὑπὸ τῶν πανταχόθεν ἢ ἀπὸ τῶν ἀποστόλων τετήρηται παράδοσις*; *C. Gutberlet* in *Kath.* 1910, I, 431—439 conservata scriptum esse putat pro observata; *D'Herbigny* in *R. Bd.* 1910, 103—108 ostendere conatur legendum esse „ab his qui sunt undecim“, scil. undecim Pontifices Romani a Lino usque ad eum, qui ante Eleutherium, qui tum Romanus episcopus erat, summam ecclesiae potestatem habuerat (cf. *C. Hubik* in *ČKD* 1911 296—304; 421—433); in *AAV* 1911 (VII) 135—136 conicitur scriptum fuisse „ὅπερ τῶν ἀπὸ Πέτρου.“⁴⁰⁾

Haec iam sufficient de sententia Catholicorum.

Videamus nunc, quomodo Orthodoxi Irenaei verba explicent. *Kurganov*,⁴¹⁾ recensitis sententiis Catholicorum et Protestantium, dicit: „In nostra quoque russica litteratura theologica dictum hoc s. Irenaei discutiebatur; quod a nostris theologis converti solet ex lingua latina in russicam magna ex parte ita, ut sententia enuntietur, quae generatim a Romano-catholicis Irenaeo tribui solet, — i. e.: omnes particulares ecclesiae debent consentire cum ecclesia romana —; neque aliud quidquam faciunt nisi ultramontanam (!)⁴²⁾ conclusionem, quae talem versionem consequitur, infirmare conantur... Hae explicationes, quibus verborum

⁴⁰⁾ Cf. *Ottiger*, *Theol. fund.* II. p. 643 sqq.

⁴¹⁾ *Kurganov*, I. c. p. 22 sq.

⁴²⁾ *Kurganov* multum legisse libros et tractatus Protestantium ac Veterocatholicorum videtur editos sub annum 1870, cum vocabulum «ультрамонтанскій» usitatissimum ei sit.

ad locum s. Irenaei transferendum a theologis nostris fere adhibitorum proprietatem infirmare conantur singulorum propriae sunt, cum inter se discrepent; deest ille communis consensus theologorum catholicorum hunc locum explicantium.“ Adfero eiusmodi aliquot versiones, quas Kurganov interpretationi catholicorum favere ideoque reiciendas esse existimat. A b d i a s V o s t o k o v⁴³⁾ sive Anatolius, episcopus Mogileviensis, s. Irenaei verba hoc modo transfert: „Ибо съ тою церковію, ради могущественнѣйшаго первенства (principalitatem), необходимо должны согласоваться всѣ церкви, въ которой всегда повсюду вѣрующими сохранилось апостольское преданіе.“ Ad hanc versionem Kurganov notat:⁴⁴⁾ „Переводъ—чисто Римскій и не „буквальный“, какъ думаетъ авторъ.“

Archim. N i k a n o r,⁴⁵⁾ postquam in singula verba inquisivit, hanc proponit interpretationem: „Съ Римскою церковію, по причинѣ ея особенной давности и знаменитости (или вообще—по причинѣ особенныхъ преимуществъ, какъ съ церковію величайшею, древнѣйшею, всѣмъ извѣстною, основанною двумя славнѣйшими апостолами) должно (теперь въ настоящее время) согласоваться (бѣ дѣлахъ вѣры) всей Церкви, т. е. тѣмъ, какіе есмь повсюду вѣрные: такъ какъ въ ней (въ Римской церкви) тѣми (вѣрными), какіе есть повсюду (чрезъ постоянное общеніе съ нею, какъ съ церковію православною и знаменитѣйшею, чрезъ непрерывныя сношенія съ нею, какъ съ церковію города міродержавнаго), всегда хранилось (до этого времени) преданіе, которое отъ апостоловъ“ Si haec sententia vera esset, ut Kurganov⁴⁶⁾ recte dicit, iudicis, de alicuius orthodoxia iudicaturi officium esset, ut opinionem suam ad opinionem eius, de quo iudicaturus est, conformaret.

In opere s. Irenaei converso in Russicum (Moscoviae a. 1871) P. P r e o b r a ž e n s k i j his utitur verbis: „Ибо по необходимости съ этою (Римскою) церковію, по ея преимущественной важности, согласуется всякая церковъ, т. е. повсюду вѣрующіе, такъ какъ

⁴³⁾ Обь отношеніяхъ Римск. церкви къ др. хр. церквамъ, и ко всему человѣческому роду, Изд. свящ. В. Гречулевича. С.-Петербург. 1857 I, 136. Cf. Kurganov, I. c. p. 23.

⁴⁴⁾ Ibidem.

⁴⁵⁾ Разборъ Римскаго ученія о видим., папскомъ, главенствѣ въ Церкви. Изд. 2-е, Казань, 1871, стр. 180. Cf. Kurganov, I. c. p. 24.

⁴⁶⁾ Kurganov, I. c. p. 25.

въ ней апостолское преданіе всегда сохранялось вѣрующими повсюду.“⁴⁷⁾

Hisce et similibus interpretationibus reiectis Kurganov suam adfert, qua sola putat accurate et recte philologorum praeseptis servatis verba latina reddi; en eius verba: „Ибо къ сей церкви, ради високаго достоинства, имѣеть нужду приходить всякая церковъ т. е. отвсюду сущіе вѣрующіе, въ которой (по сему) преданіе, истекающее отъ апостоловъ, всегда было хранимо сими отвсюду сущими вѣрующими.“⁴⁸⁾ At haec versio nec accurata est, nec s. Irenaei sententiam reddit. Ut verborum „propter potiorum principalem“ vim effugiat, Kurganov non dubitat uti verbis ради високаго (gradus positivus = potentem) достоинства (= dignitatem), cum debuisset dicere ради вышшаго преимущества“, vel etiam melius „ради могущественнѣйшаго первенства.“ Kurganov Irenaei verba convertisset, si is haec scripsisset: „Ad hanc enim ecclesiam, propter magnam dignitatem, necesse est omnem convenire ecclesiam, i. e. qui sunt undique fideles, in qua (propterea) traditio, manans ab apostolis, semper custodiebatur ab iisdem fidelibus, qui sunt undique“.

Quodsi sententia spectatur, quam Kurganov his verbis subicit cum ea explicat, interpretatio haec prorsus reicienda est. Nam Kurganov s. Irenaeum existimat potiorum principalem ecclesiae romanae repetere a civili urbis Romae principality non ab apostolica ipsius ecclesiae origine. Ita argumentatur: Cum s. Irenaeus omnes Apostolos fuisse prorsus aequales doceat, nec fuisse inter eos maiorem vel minorem, dominum aut servum, etiam res, quam ipsi docebant, eadem fuit; qua de causa non potest esse traditio apostolica magis in hac quam in illa ecclesia. Ergo etiam potior principality ecclesiae romanae aliis rebus contineatur, necesse est, quam apostolica origine;⁴⁹⁾ conti-

⁴⁷⁾ Kurganov, ibidem.

⁴⁸⁾ Kurganov, l. c. p. 27.

⁴⁹⁾ „Potior principality ни въ какомъ случаѣ не можетъ означать преимущества, покоющагося на апостольскомъ происхожденіи Римской церкви; это противорѣчило бы всему остальному воззрѣнію св. Иринея... Ибо, доказывая однимъ еретикамъ апостольское достоинство Петра, а другимъ—Павла, св. Иринея . . . настойчиво проводить мысль, что апостолы равны между собою; что ни одинъ изъ нихъ ни больше, ни меньше другаго, ни господинъ, но и ни рабъ другихъ, и что истина, возвѣщенная ими, всюду одна и та же, а по сему и апостольское достоинство основанныхъ ими церквей не можетъ быть больше въ одной церкви, чѣмъ въ другой; оно

netur autem civili urbis Romae principalitate. Propter hanc omnibus undique fidelibus Romam conveniendum est, tamquam ad caput totius mundi antiqui.⁵⁰⁾ Inde fit, ut apostolica traditio in ecclesia romana duplici ratione incorrupta servetur: 1. ab ipsa ecclesia romana pari modo atque in aliis ecclesiis traditio apostolica servatur, 2. insuper autem a fidelibus, qui undique Romam confluunt.⁵¹⁾ Ideo etiam „convenire ad“ nihil significare potest nisi venire omnes in unum locum; quod ut confirmet, Kurganov sententias nonnullorum catholicorum theologorum saec. XII. adfert, quorum favor in Pontificem romanum dubius esse nequit, et qui tamen solum de eiusmodi conventu hominum Romam loquuntur.⁵²⁾

всюду одно и то же. Такимъ образомъ potior principalitas указываетъ на преимущество Римской цевкви, покоящееся на иномъ основаніи, чѣмъ апостольское ея происхождение...“ Kurganov, l. c. p. 30 sq.

⁵⁰⁾ Cf. Kurganov, l. c. p. 33.

⁵¹⁾ Ibidem p. 38 sq : »Какъ слѣдствіе стеченія вѣрующихъ всѣхъ мѣстъ въ Римѣ показано то, что апостольское преданіе, разпространенное во всей церкви, можно найти въ подлинномъ его видѣ и въ одной Римской церкви: преданіе вѣры хранить не одна sedes romana для всѣхъ вѣрующихъ, какъ толкуютъ это мѣсто ультрамонтане, но его хранили вѣрующіе всего міра (ab his qui sunt undique), стекавшіеся по нуждѣ въ Римъ, какъ столичный городъ,—хранили, какъ общее достояніе всѣхъ христіанъ, для себя и для самой Римской церкви, подобно какъ и Римская церковь хранить ее прежде всего для себя, а потомъ и для другихъ.« Similiter p. 43. »Мысль св. отца очевидна: Римская церковь, какъ сборный пунктъ христіанъ всего міра вслѣдствіе политическаго значенія города Рима, была болѣе, чѣмъ всякая другая церковь того времени, подъ постояннымъ, такъ сказать, контролемъ всѣхъ остальныхъ церквей...«

⁵²⁾ Haec sententiae prorsus nullo modo pugnant cum sententia, quam verba s. Irenaei habere catholicis persuasum est. Herveus quidem Burgigalensis monachus (c. a. 1150) in commentario in epistolam s. Pauli ad Rom. (l. 8) haec dicit: „Fides vestra, etsi nondum perfecta, iam tamen annuntiat in universo mundo. Roma tunc erat caput mundi et de toto orbe illuc conveniebant, atque Romanos suscepisse fidem christianae religionis ubique divulgabant, sicque iam securius ceterae per orbem nationes eandem fidem suscipiebant. Et haec est laus fidelium Romanorum, quia tale de eis exemplum spargebatur.“ Comm. apud Kurganov p. 28. Cf. Langen, Geschichte der röm. Kirche. Bonn 1881. Iam vero, quid hoc adversus nos? Homines, qui Romae fuere, reduces divulgant Romae evangelium cum fructu esse annuntiatum et romanos neophytos in fide Christi excellere; eodem modo praedicabatur etiam oboedientia fidelium romanorum, id quod idem Apostolus testatur (ad Rom. 16, 19): „Vestra enim oboedientia in omnem locum divulgata est.“ At nullo modo s. Paulus indicat, fidem romanorum per hosce advenas foveri vel conservari. Ceterum ipsum illud s. Pauli: „Fides vestra annuntiat in universo mundo“ laudem continet, quae non tam a concursu hominum Romam repetenda est quam a fervore romanae ecclesiae. Eandem enim laudem s. Paulus Thessalonicensibus tribuit, haec ad eos scribens: „A vobis enim diffamatus est sermo Domini, non solum in Macedonia, et in Achaia, sed et in omni loco fides vestra, quae est ad Deum, profecta est, ita ut non sit nobis necesse quidquam loqui...“ (I. Thess. 1, 8). Eadem vis est alterius loci, quem Kurganov (Langenium secutus) eodem loco commemorat, dico Hugonis Eteriani.

Iam vero falsum est, s. Irenaeum docuisse plenam fuisse aequalitatem apostolorum. Eandem illi quidem doctrinam omnino tradebant; hoc s. Irenaeus etiam atque etiam inculcat;⁵³⁾ principatum vero totius ecclesiae Petrum tenuisse s. Irenaeus non solum non negat, sed saepe indicat. Petrus, postquam Christus ab inferis redux discessit in caelum, Matthia facto apostolo duodecim apostolorum numerum complet, die pentecostes primus loquitur ad Iudaeos, coram principibus et primoribus Iudaeorum causam agit apostolorum; ipse primus gentes ad ecclesiam admittit, primum miraculum facit, concilio Hierosolymitano praesidet⁵⁴⁾ et ipse primus rem disceptat. Generatim Petrus, cum apostoli sunt simul, semper praesidet et omnium nomine loquitur. „Ex verbis Petri igitur... cognoscendum est

⁵³⁾ Cf. ex. gr. Adv. haer., III, c. 1, M. 7, 844 sq.; maxime vero totum c. 12, M. 7, 892 sq.

⁵⁴⁾ Kurganov l. c. p. 38 dicit, s. Irenaei sententiam esse non Petrum sed Jacobum praefuisse concilio Hierosolymitano. Hoc quod iam Grabius attulit, egregie refutat Massuetus in commentario, quod scripsit ad Irenaeum (M. 7, 909—910). Praeterea autem Kurganov negat s. Petrum fuisse episcopum romanum, romanum Petri episcopatum ab Irenaeo penitus ait ignorari: »первымъ епископомъ поставленъ Линъ, апостоль Петръ не былъ епископомъ Римской церкви, св. Ириней не знаетъ его епископствования въ Римѣ, подобно какъ не знаетъ и особенныхъ прерогативъ его, яко бы полученныхъ имъ отъ Господа« l. c. p. 52., et Linum successisse apostolo utrique, l. c. p. 40 sq. Eiusmodi opinionem, secutus Lightfootium minorem, Harnack tenet commendatam rationibus penitus inutilibus. Quae his verbis Straub diluit, § 526: „Neve obiciatur, antiquitus s. Petrum in episcopis romanis minime numerari, s. Paulum una cum s. Petro celebrari et ad romanam ecclesiam referri, etiam s. Paulum dici ecclesiae romanae fundatorem atque episcopos romanos exhiberi successores s. Pauli, proinde s. Petrum episcopum romanum non fuisse vel saltem s. Paulum aequae episcopum urbis exstitisse. At enim s. Paulus antequam in urbem ipse advenisset, ad romanos scribens anno fere 59, indicat ecclesiam Romae iam florentem (Rom 1, 8—15; 15, 14—24. 28. 30. 32. 33; 16, 19), cui ecclesiae utique, pariter ac minus amplis aliis civitatibus episcopus proprius praeerat. Sed episcopus iste, prior quidem Lino, ut et auctor princeps, ex antiquitate christiana universa non potest censeri nisi s. Petrus, qui etiam ex testimonio diserto iam sub Claudio Romam venerat (vide v. g. Eusebii hist. eccl. l. 2. c. 14; M. 20, 171). Sane iurisdictio apostolica continet et excedit episcopalem; unde qui erat apostolus, idem erat episcopus hominum a se primo conversorum, quamvis nomen apostoli ut excellentius retineret, et tamdiu episcopus manebat, quamdiu illos alii non tradidit, qui iam ut gregem proprium eos regeret; nominatim princeps apostolorum erat vi primatus episcopus etiam peculiaris fidelium quorumlibet eo ipso, quod episcopo nulli peculiari attributi erant. Porro s. Paulo supervenienti certe non episcopatum suum romanum s. Petrus cessit. Neque Paulus veniens cum Petro iam praesente coepit esse simul episcopus romanus, sive ita, ut alter ab altero non penderet proindeque esset caput duplex, id quod est absurdum, sive ita, ut alter cum altero constitueret collegium quoddam episcopale. Qualis modus regendi nullo vetusto monumento traditur, immo antiquitati toti ipsique iuri divino adversatur (vide n. 455—465).“ Ceterum sententia negantium Petrum Romae fuisse, in occidente iam etiam ab ipsis heterodoxis reicitur. Cf. *Ottiger*, II, 533—586

nobis, quae annuntiabant apostoli, et qualis fuit praedicatio ipsorum, et quam habuerunt de Deo sententiam“ (Adv. haer. III. 12. 7). Quodsi Irenaeus cum Petro etiam Paulum ut ecclesiae romanae auctorem commemorat, id spectat, ut doctrinam ab apostolis primo integre traditam conservatam demonstret per episcopos eis succedentes, imprimis in ecclesia romana, esse incorruptam; cui consilio congruit cum s. Petro simul laudare s. Paulum, quod ipse quoque fuit apostolus et magister gloriosissimus gentium et maxime Romanorum et eatenus cum Petro auctor ecclesiae maximae romanae.⁵⁵⁾

Quam inepta sit interpretatio et opinio Kurganoviana, hac similitudine illustrari potest: Anno 1875 omnes fere res publicae unam eandemque mensuram ac pondus ex exemplo primo sumptum constituerunt, quod Parisiis a collegio virorum delectorum (Bureau international des poids et mesures) custoditur. Singulae res publicae in suis quaeque finibus, cavent, ut haec unitas integre servetur. Si dubitatur, consulendum est illud collegium parisiense. Itaque recte responderi potest hominibus vitiantibus hanc communem mensuram et nihilominus iactantibus se habere integram et bonam mensuram: „Falsa est vestra mensura, quippe quae discrepet a mensuris, quas singulae res publicae receperunt et custodiunt. Sed quia id ostendere longum est, satis est ostendere vestram mensuram discrepare a mensura parisiensi, quacum necesse est congruant omnes aliae mensurae.“ — Ratio vero, ob quam omnes ubique mensurae cum parisiensi exemplo primo congruere debere dicuntur, non est, quod Parisiis, utpote in civitate amplissima et celeberrima ab hominibus illuc undique convenientibus systema metricum incorruptum conservatur, sed quia eius custodia commissa est illi collegio virorum.

Simili modo imprudenter atque etiam ridicule argumentatus esset s. Irenaeus, si — ut Kurganov vult — ex concursu hominum, qui profana negotia tractaturi Romam confluebant, collegisset traditionem apostolicam in ecclesia romana incorruptam servatam esse. Quotus quisque enim inter illos homines peregrinos eo tempore Christianus erat, isque tam eruditus, ut difficiliore atque obscuriores quoque quaestiones dogmaticas diiudicare posset? Nonne etiam haeretici ac schismatici, saltem imprudentes inter illos erant, cum ex historia notum sit, ipsos quoque improbos haereticos ac schismaticos admodum sollicitos fuisse de retinenda vel

⁵⁵⁾ Cf. Straub, l. c. I., p. 424.

recuperanda communione cum sede romana? Romam enim confugit (a. 142) Marcion, confugerunt montanistae, confugerunt socii in schismate Felicissimi, de quibus ad Cornelium scribit s. Cyprianus ep. 59 n. 14: „Post ista (scelera, quae recensuerat) adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto navigare audent et ad Petri cathedram atque ad Ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, a schismaticis et profanis litteras ferre nec cogitare eos esse romanos, quorum fides Apostolo praedicante (Rom. 1. 8) laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum“.⁵⁶⁾ Haecine ecclesia Romae gloriosissime condita, maxima et antiquissima ut fidem suam incorruptam servarit per aliquot fideles, qui suo nomine negotia profana tractantes Romam veniebant? Hanc dico ecclesiam, cuius antistes (Clemens) potentissimis litteris, ut ipsius Irenaei (l. III. c. 3) verbis utar, Corinthios ad pacem congregavit eorumque fidem reparavit, quae tantae fuere apud eam ecclesiam auctoritatis, ut etiam in publico fidelium conventu legi solerent, ut Dionysius Corinthiorum episcopus apud Eusebium H. E. IV, 23 testatur. Quid vero dicam de eo, quod ipsi advenae inter se dissentiebant? Num traditio pura una eademque conservaretur, si ecclesia romana modo huic, modo illi supervenienti fidem propriam posthaberet? Nonne Irenaeus, si a peregrinantibus servari Romae traditionem apostolicam putasset, catalogum episcoporum romanorum, quem confestim copiose exponit, ut supervacaneum et alienum omisisset et loco eius itinera illa continua fidelium memoriae prodidisset?⁵⁷⁾

Multa praeterea contra ineptias a Kurganovio prolatas adferre possumus. Sed cum haec sufficiant ad cognoscendum eum pro-

⁵⁶⁾ Kurganov, l. c. p. 49 n. contra dicit papam Honorium I. incidisse in haeresim et propterea condemnatum esse. At Leo II. hoc unum in Honorio reprehendit, quod „apostolicam ecclesiam non apostolicae traditionis doctrina lustravit, sed profana prodicione immaculatam maculari permisit“ (ep. ad imperat.; H. 3, 1475), vel quod „flammas haeretici dogmatis, non ut decuit apostolicam auctoritatem, incipientem extinxit, sed negligendo confovit“ (ep. ad episc. Hispan.; ib. 1730.) Cf. *Sinthorn*, in *Sl. lit. theol.* 1907. III. p. 147 sqq.

⁵⁷⁾ „Ad hanc“, subiungit, „Ecclesiam“ romanam videlicet, non ad urbis amplitudinem, populorum frequentiam, censorum gravitatem senatusque statuta; non ad fortissimos eius exercitus, gloriosos de toto orbe triumphos, imperii culmen; non denique ad Caesarum maiestatem sed „ad hanc Ecclesiam“, in qua sedit vertex apostolorum, cuique successerunt „Linus, Anacletus, Clemens, Evaristus, Alexander“, et alii ordine omnes; „necesse est“, quia a Deo opt. max. constitutum; non tantum Europaeam, Africanam, Ierosolymitanam... Ecclesiam; sed „omnem, hoc est eos, qui sunt undique fideles, ut membra cum capite „convenire“. (Adnotationes Fr. Feuarentii in L. III. c. 3. 1. Irenaei; M. 7, 1608—9).

missis non stetisse nec s. Irenaei cogitationem assecutum esse similiter atque alii, qui ab unitate ecclesiae secesserunt, verbis ipsius s. Irenaei, quibus contra suae aetati adiunctos verae fidei adversarios usus est, concludimus disputationem: „Imperfectus igitur secundum hos Petrus, imperfecti autem et reliqui apostoli, et oportebit eos reviviscentes horum fieri discipulos, ut et ipsi perfecti fiant. Sed hoc quidem ridiculum est. Arguuntur vero isti non quidem apostolorum, sed suae malae sententiae esse discipuli. Propter hoc autem et variae sententiae sunt uniuscuiusque eorum, recipientis errorem quemadmodum capiebat. Ecclesia vero per universum mundum ab apostolis firmum habens initium, in una et eadem de Deo et de Filio eius perseverat sententia.“ (Irenaeus, Adv. haer. III, 12, 7, M. 7, 901).

Jos. Vágner.

Conspectus litterarum ad Academiae studia pertinentium.

Adolf Harnack, Der Geist der morgenländischen Kirche im Unterschied von der abendländischen. (Sitzungsberichte der königl. preuss. Akademie der Wissenschaften 1913, VII, 157—183). Berlin 1913. Verlag d. Akademie (Kommission G. Reimer).

Cum recentes eventus in paeninsula Haemo hominum animos etiam in ecclesiae orientalis fata magis convertant, *H.* quaestioni respondet, in quo proprie character ecclesiae orientalis et discrimen principale ab occidentali consistat. Non omnia existimat a differentia gentis repetenda esse, sed historiam et evolutionem ipsius religionis prout publice dominans est (hanc enim *H.* a religione intestina, cordis, distinguit) considerandam.

Licet haec religio in orientali et occidentali ecclesia primo aspectu, excepto primatu Papae et condicione religionis in vita publica, aequalis esse videatur, tamen diligentiore examine complura discrimina apparent. In redemptionis fructu orientalis ecclesia solam felicitatem caelestem, occidentalis etiam felicitatem iam his in terris ex parte habendam considerat, in opere redemptionis in oriente magis incarnatio, in occidente mors crucis inculcatur. In cultu est missae celebratio cum omnibus caerimoniis et partibus apud orientales centrum cultus, alia, etiam sacramenta subordinata, apud occidentales in missa sacrificatio reconciliativa momentum sola habet, et sacramentum paenitentiae omnia sibi alia, etiam missae sacrificium subordi-

nat. In ascensi orientis plures virtutes passivae aestimantur, pessimismus quidam et quietismus locum habet, ideoque status anachoretæ ut propria perfectio vitæ monasticæ apparet, in occidente præter propriam sanctificationem etiam dilatatio regni Christi ad perfectionem asceseos pertinet quod maxime in societate Iesu ad effectum perducitur. Maxima differentia autem in ipso conceptu et constitutione utriusque ecclesiæ ut societatis apparet. Ecclesia Orientis tota est ecclesia futuri sæculi, non est aliqua res publica religiosa, nullam propriam potestatem externi regiminis sibi attribuit, non anhelat libertatem, sed facile reipublicæ, dummodo orthodoxa sit, sese accommodat et cum ea intime conglutinatur, et quia ad res fidei et cultus paene restringitur etiam immobilis et immutata manet. Ecclesia occidentalis autem est regnum religiosum in his terris, statui non se subicit neque accommodat, non solum suam libertatem conservat, sed statum sibi subiectum habere vult, veram regendi potestatem sibi adscribit, verumque etiam in cultu et disciplina progressum colit.

Si ulterius quaeritur, quo pacto hæc talis ecclesia in oriente orta sit, *H.* respondet ecclesiam orientalem non esse aliud nisi religiosam, philosophicam, aestheticam culturam orientalem (non proprie graecam) tertii sæculi, esse tertium sæculum quasi versum in saxum, cum duabus tantum mutationibus: 1. quod elementa crassiora pagana eliminata sunt, 2. quod firma temperatio societatis christianæ, a tempore Constantini ipsa status potestate confirmata et quasi consignata, huic formationi impressa est. Ratio autem modi, quo per tot sæcula talis forma permanere immobilis potuerit, in eo invenitur, quod orientalis ecclesia nullos maioris momenti magistros, qui in cogitando proprietate aut subtilitate excellerent, habuit. Hic orientalis ecclesiæ character ne per Slavorum quidem in eam receptionem mutatus est.

Si libertas ecclesiæ, rerum et temporum ratio, industria et labor in mundo viribus sanctis et bonitate perpetrandus spectatur, ecclesia occidentalis orientalem antecellit.

Harnack hic non inepte quaedam propria utriusque ecclesiæ delineat, ex magna tamen parte et ea, quæ de differentiis utriusque ecclesiæ dicit, et imprimis ea, quæ de caractere ecclesiæ orientalis tamquam sæculi tertii in saxum versi profert, non sunt nisi quaedam commenta, vix ullum fundamentum in rebus habentia. Per se intellegitur Adolphum Harnack rationalistam momentum principale historiae et constitutionis ecclesiæ, supernaturalem dico characterem, omnino prætermittere.

Ceterum commemorandum est *H.* hic discrimen inter orientalem et occidentalem ecclesiam describentem, multa afferre debuisse, quæ in honorem ecclesiæ Romanæ cedunt, ut eius constantiam in defendenda libertate, eius industriam, usus et temporum rationem, unitatem, progressum.

Dr. *Joh. Ernst*, „Cyprian und das Papsttum.“ Mainz, 1912.
Pag. 162.

Occasionem huius operis (cf. *Katholik* VII, 277—280 etc.; VIII, 55—66 etc.) proximam ipse scriptor librum fuisse dicit ab Hugone Koch editum, qui inscribitur „Cyprian und der römische Primat“; et non vult, ut solum contra hunc scriptum habeatur.

Tredecim capitibus totam quaestionem devolvit. In primo breviori et quasi introductorie thesim a Koch statutam proponit, secundum quam ex mente S. Cypriani omnis praerogativa B. Petri prae reliquis apostolis in eo constiterit, quod ipse primus et solus omnem potestatem ecclesiasticam accepisset, quam postea omnes apostoli eadem omnino mensura accepturi essent. Iura primatus realia ecclesiae Romanae concedenda ex hoc minime effici; episcopum Romanum, sicut quemvis alium episcopum, solam ‚portionem gregis‘ regendam suscipere, et in tantum habere aliquam potestatem, in quantum se ceteris episcopis catholicis adiungat; ipsum esse „primum inter pares“, sed minime „primum inter omnes.“ Hanc esse Cypriani „ideam ecclesiae“ (p. 2.).

Ipsam thesim secundum principia eius fundamentalia iam prius propositam esse Ernst dicit, et quidem a Delarochelle et multo prius ab A. Ritschl, a Thomasio, a Benson. Koch tantummodo fundamenta firmiora huic thesi ponere conatum esse eumque satis diligenter locos Cypriani critice tractasse (p. 3.).

In reliquis duodecim capitibus — Ernst locos S. Cypriani et facta ex eius vita, quae ad hanc quaestionem pertinent, crisi subicit id semper etiam ante oculos retinens quomodo Koch et alii de iis sentiant.

Primus locus, quem tractat est Cypriani „De unitate ecclesiae catholicae“ c. 4. Loci huius duae sunt recensiones, ex quibus altera, quam Ernst secutus Koch *B* designat usque ad novissima tempora interpolata habebatur.

E. defendit, vestigia sequens clarissimi Chapman, textum *B* non posse esse interpolatum, quod argumentis interioribus ex dicendi genere usque ad minima Cyprianeo et ex eo desumptis ostenditur, quod in altero mutata sunt complura, ad quae mutanda interpolator nulla potuerat impelli ratione. Talem interpolationem penitus alienam esse ab aetate antiqua etiam professor P. Wendland affirmat (p. 4—8).

Deinde obiectiones a Koch contra authenticam verborum propositas refutat originem Cyprianicam textus utriusque cum Chapman eo explicans, quod Sanctus episcopus tractatum, quem primum contra schisma Felicissimi Carthagine excitatum scripsisset, postea ipse in forma accuratiore proposuerit, fortasse cum idem opus Romam contra schisma Novatianum mitteret. (P. 9—15) Ex capite 19. eiusdem operis autem contra Batiffol ostendit verba *A*—et non *B*—esse prioris originis. (p. 5. ss.)

Si autem recensio *B. S. Cyprianum* habeat auctorem, ita concludit Ernst, tunc iam hoc ipso damnatam esse sententiam Kochii, cum his verbis primatus clare enuntietur.

In capite tertio scriptor verba ep. 71., 3 (apud Ernst p. 20), quibus Cyprianus primatum *B. Petri* explicite negare videtur, primatum potius continere ostendit, cum verba ea non contra Stephanum papam I., sed contra episcopos Mauretaniae directa sint, quod ex epistola 72., quacum nostra simul Romam missa sit, efficiatur, quae pacem cum Stephano habendam intendat, verba autem illa ep. 71., si contra Stephanum directa sint, solum apta esse, quae eum laedant. (p. 20—30)

In capite, quod sequitur, explicationem Koch de mente *S. Cypriani* refellit circa foundationem ecclesiae super Petrum, quod factum sanctus episcopus in Petri laudibus tam saepe praedicat.

Koch putat, Cypriano persuasum fuisse, Christum Dominum eo, quod primum soli Petro omnem potestatem apostolicam traderet, significare voluisse et nos semper admonere, quam necessaria esset unitas ecclesiae suae. Ideo *B. Petrum* non nisi huius unitatis typum; fundamentum vero nihil aliud significare, quam primum lapidem; et ecclesiam super unum fundatam idem esse, atque ecclesiae aedificium ab uno incipere.

Ernst ostendit hanc explicationem non solum valde miram et iam a priore improbabilem esse, verum etiam compluribus in locis, uti in tractatu „De habitu virginum“ c. 10. (apud Ernst p. 31.) et in Ep. 73, II. (apud Ernst p. 33. nota 2.) omnino impossibilem. Praeterea *S. Cyprianum* ex hac fundatione ecclesiae super Petrum probasse solam ecclesiam catholicam habere verum baptismum; neque eum dicere solum a Christo Domino unitatem ecclesiae suae eo, quod hanc super Petrum fundaverit, manifestatam esse, verum etiam „sua auctoritate dispositam“, „institutam“. (p. 36 ss.)

Quod autem locum praecipuum Ep. 59, 14 „Navigare audent“ .. attinet, quem scriptor proximo in capite (pag. 42—47) breviter tractat, iure merito reicit sententiam a Koch defensam, ut valde affectatam, omnino contortam, secundum quam ecclesia Romana a *S. Cypriano* „ecclesia principalis“, fons „unitatis sacerdotalis“ intelligeretur „idealiter“, in quantum nobis semper menti sisteret Petrum, qui fuisset „princeps apostolorum“ solum chronologicè, in quantum primus apostolicam potestatem accepisset.

Posthac (pag. 47—59) scriptor sententiam a Knellero de origine unitatis ecclesiae apud *S. Cyprianum* propositam oppugnat, secundum quam Cyprianus omnem iurisdictionem episcopalem a Petro descendere docuerit et in hoc sensu beatum Apostolum „originem unitatis“ intellexerit.

Dein opinioni a Sohm statutae et a Koch adoptatae se opponit, qui tenent ex mente Cypriani omnem episcopum esse successorem Petri ita, ut unicuique episcopo competat auctoritas et potestas Petri super ecclesiam. (p. 59—68.)

In capite octavo Ernst (pag. 68—78) difficultatem solvit, quam verba tractatus *De unitate ecclesiae catholicae* c. 4 in recensione *A* (apud Ernst p. 68) gignunt, quae *B*. Petrum cum reliquis Apostolis, potestate et honore, omnino parem fuisse videntur significare. Scriptor eo explicat verba S. Cypriani, quod illa solum paritatem potestatis magisterii, sacerdotii, pastoratus significant, quam potestatem tamen reliqui Apostoli solum cum subordinatione sub Petro exercent. Ita esse Cyprianum intellegendum ostendit ex recensione *B*, ex interpretatione scriptorum ecclesiasticorum post Sanctum, ex eo quod idem loquendi modus et apud Patres (e. g. apud Optatum Milev., Hieronymum), et in scriptis ipsorum Romanorum Pontificum (apud Gelasium I., Leonem Magnum, Pelagium I.) invenitur. (p. 71. 72.) Neque hoc facere magnam difficultatem, quod Cyprianus papam collegam dicat. (p. 75—78.)

Quod Cyprianus plenam episcopi intra suam dioecesim a qualibet potestate libertatem contendere videtur, Ernst contra Koch et Chapman defendit, verba similia exaggerationes esse rhetoricas sancti episcopi, quae ex nimio fervore, quo suam causam defendat, prodeant. Ideo ea verba non esse nimium urgenda, cum modus, quo se gesserit, aliud postulet. Quod exemplis e vita Cypriani desumptis illustratur. (p. 78—95.)

Vocem illam in Ep. 48, 4. „ecclesiae catholicae matrix et radix“ non posse ut argumentum certum pro primatu a Cypriano admissio afferri, Ernst propugnat, cum Cyprianus voce „matricis“ alias numquam Romanam ecclesiam in oppositione ad reliquas ecclesias particulares designet, sed universam ecclesiam catholicam, et in nostro casu genitivus ille „ecclesiae catholicae“ epexegeticus esse possit. Ideoque aliam etiam probabilem explicationem dat verborum illorum, alienam a communi explicatione. (p. 95—110.)

In capite undecimo (pag. 111—130) scriptor causam tractat Marciani episcopi Arelatensis, qui in agendo saltem schismati Novatiani se adiunxit et contra quem Cyprianus Stephanum papam admonet, ut „plenissimas litteras“ mittat „in provinciam et ad plebem Arelate consistentem“, „quibus abstento Marciano alius in loco eius substituatur“ (Ep. 68, 2 [744, 2] 3 [745, 20]). *E.* bene defendit depositionem auctoritativam Marciani, quam Cyprianus postulat, fuisse actum iurisdictionis, etiamsi Marcianus forte schismaticus notorius ipso facto excommunicatus et depositus esset. Sed scriptori unica recta videtur haec positio, quam etiam bonis rationibus fulcit, Marcianum non fuisse schismaticum notorium, sed solum schismati faventem. Praeterea bene explicat sensum obvium verborum „quibus abstento Marciano alius in loco eius substituatur“.

In ultimis capitibus (pag. 131—162) duo facta e vita Cypriani tractat, quae non omni carent difficultate: causam episcoporum Hispaniensium Basilidis et Martialis, atque Cypriani oppositionem adversus Stephanum papam in lite rebaptizantium.

Duo illi episcopi secundum relationem S. Cypriani nefandorum criminum rei erant. Martialis sponte episcopatu se abdicavit, sed postea cum huius facti eum paeniteret, a Stephano papa ut restitueretur in episcopatum obtinuit. Basilides quoque suis fraudibus effecit, ut a Stephano suo in numere relinqueretur. Horum subditis consilium a se petentibus, Cyprianus una cum episcopis secum congregatis respondit, ut a communicatione cum Basilide et Martiali etiam post Stephani decisionem se abstinerent.

E. hunc procedendi modum sancti episcopi ostendit nullo modo pugnare cum eius persuasione de primatu Romani episcopi, et omnino explicari posse ex disciplina veteris ecclesiae, quae communicationem cum excommunicatis interdixit, et ex opinione eius de validitate sacramentorum, et ex animo eius contra Stephanum excitato, cum factum hoc probabiliter in illud tempus incidat, quo Cyprianum inter et papam communicatio abrupta sit. (p. 131—147.)

Quod autem litem de rebaptizandis haereticis attinet, Ernst, cum statum quaestionis notum esse sumere videatur, breviter ostendit, Cyprianum omnino alio modo se gerere debuisse, si primatum Romanae ecclesiae non tenuisset: non prohibitionis, quam Stephanus edixerat, iniustitiam et repugnantiam cum evangelio ostendendi conatus adhibere, sed toti rei fundamentum subtrahere debuisset, primatum papae negando, praesertim cum Stephanus hunc suum primatum appellasset. (Ep. 75, 17.) Cur tamen oboedientiam recusaverit, explicari posse ex eius persuasione de iniustitia decreti Stephani, cui passivam resistentiam opponendam esse censuerit. Ideoque Sanctum ne in hac quidem lite sua principia de primatu reliquisset, etsi fortasse eis non tanto adhaeserit studio, quam antea. (P. 148—162).

Ut autem iudicium breve de toto hoc opere proferatur, scriptor non solum magno cum amore pietateque sanctum episcopum defendisse dicendus est, verum etiam rem suam haud minore cum eruditione et diligentia tractasse. Opera etiam recentiora, quae de hac quaestione agunt, bene videtur nosse. In notis multos et optimos affert locos e scriptis Cypriani, qui rem magis dilucidant. Valde laudandus est moderatus dicendi modus, quem scriptor etiam erga adversarios suos semper observat. Numquam in iis quae dicit iustos transgreditur limites; nihil affirmat, quod bonis rationibus non fulciatur. Aliquae tamen conclusiones scriptoris limites probabilitatis non excedunt.

Si quid in opere optandum restare videatur, est, quod scriptor magis respicere potuit totam aetatem, qua Cyprianus floruit, omnes circumstantias, quae eius agendi modum determinarent; unde Sanctum non quasi separatim a sua aetate tractasset, proindeque consideratio rebus magis accommodata fuisset.

Sed ex rationibus, quae allatae sunt, opus hoc eximium a quovis viro erudito summo cum fructu lectum iri dicendum videtur.

Recherches de Science Religieuse. Paris 1910—1912 I—III.

Marcel Viller. Une infiltration latine dans la théologie orthodoxe. La confession orthodoxe attribué a Pierre Moghila et le catéchisme de Canisius III 159—168.

Scriptor putat, manuscriptum confessionis Mogilae, quod invenitur in Bibl. Nationale (ancien fonds grec 1265) esse quandam compilationem, ad quam etiam Catechismus Canisii (Summa doctrinae christianae) adhibitus sit. Quod demonstrat ex ipsorum verborum notabili consensu (de sacram. ordinis, de peccatis in Spiritum sanctum — de hominis lapsu et iustificatione — de peccatis capitalibus etc.), ex iisdem locis ss. Patrum adhibitis — ex tota dispositione.

A. Malvy, Possédons nous le texte original de la confession orthodoxe de Pierre Mogila? II 287—294.

Vetustissima scriptura „Confessionis orthodoxae ecclesiae catholicae et apostolicae Orientis“ Petri Mogilae sunt: graeca in bibliotheca Metochii s. Sepulcri Constantinopoli, Num. 360. et latina in Bibl. nationali Parisiensi (ancien fonds gr. 1265), quod manuscriptum a. 1672. a Panagioti Nicusio dragomano Portae Ludovico XIV^o regi donatum est. Praeterea adest catechismus parvus c. a. 1645 a Mogila ipso editus, primum polonice, deinde ruthenice, vel potius „dans ce jargon composite à base de slavon ecclésiastique, mêlé de mots polonais et petites-russiens“, Comparato hoc catechismo cum 2 manuscriptis cognoscitur manuscriptum Constantinopolitanum esse editionem confessionis a Meletio Syrgo in linguam graecam traductae et correctae; manuscriptum Parisiense scriptor probat ex aliquibus slavismis etc. esse combinationem quandam textus Constantinopolitani et primi exemplaris a quodam Slavo factam. Quia tamen in documento donationis scriptum legitur: „Mitto nunc Excellentiae Vestrae... τὸ πρωτότυπον fidei Confessionis orientalis ecclesiae, antistitum subscriptionibus confirmatum, quia insuper Nectarius in epistula sua a. 1662 Panagioten eo laudat, quod suis sumptibus confessionem latine et graece imprimendam typis curaverit, editio autem per Panagioten a 1667 vel 1668 in Hollandia procurata solum graeca est, suspicari licet, manuscriptum Parisias Lutetiorum missum esse hoc latinum exemplar accommodatum. Quae est etiam R. Simon et Legrand sententia.

J. de Ghellinck, A propos du premier emploi du mot transsubstantiation. II 465—468, 570—572.

Boh. Spáčil.

Revue du clergé français 1911—1912.

A. Villien, L'âge de la première communion. 1911, t. LXV, p. 671—685; LXVI, p. 33—56.

De duabus rebus exponitur, de historia huius controversiae ante decretum „Quam singulari,“ et de eo exsequendo. Prior pars quaedam continet ad orientalis Ecclesiae doctrinam de hac re spectantia.

A. Gracieux, Les icones chez les Russes, t. LXVII, p. 452—466.

Imagines sacrae arcana pandunt animae russicae. Affert pulchram sacrarum imaginum definitionem a Homjakovio depromptam, (Sočinenija

t. I. p. 165). De pictoribus orthodoxis traditae artis tenacibus verba facit. Pictores rursos artem byzantinam secutos esse indicat. Ostendit imagines sacras russicas complura exhibere, quae ad historiam et vitam religiosam Russiae spectent. Perpulchre exponit de Claudio Stepanovio, perillustri pictore russo.

J. Bousquet, *Les divers schismes d' Orient*, t. LVIII, p. 5—38; 129—157.

Breviter, sed recte enarrat historiam schismatis, et statum Ecclesiarum orientalium separatarum describit. Ab initio rem repetens, remotas causas schismatis recenset, ipsumque schisma definit. De appellata a sedibus orientalibus sede Romana exponit; item de origine schismatis, ac de condicione Ecclesiae graecae tempore belli cruce signatorum, et dominationis mahumetanae. Adiungitur brevis historia Ecclesiarum separatarum armenicae et nestorianae. De monophysitismo in Syria atque in Aegypto, ac de origine diversorum rituum instituitur quaestio. Ex schismate ait esse invectam in Ecclesias orthodoxas abiectioem cleri, ignorantiam, superstitionem, detrimentum vitae religiosae, atque apostolatus. De ritus latini momento ad tollendum schisma explicatur. Ad finem commentationis parvus additur elenchus bibliographicus.

Paul Christoff, *La faillité des sacrements dans l' Église schismatique d' Orient*, t. LXVIII, 1911, p. 233—241.

Excerptum ex *Chronique de la presse*, 7 sept. 1911. Tuetur plurimos separatos ab ecclesia Romana ethnicos esse, qui signum crucis tantum faciant in orando. De modo, quo administrantur septem sacramenta scribit. Consuetudines ecclesiasticas orientales commemorat atque explanat.

A. Villien, *La discipline des Sacrements*, 1912, t. LXIX, pag. 6—32.

De ordine distribuendi sacram synaxin exponitur; de distributione specierum eucharisticarum: de modo accipiendae communionis; de gratiarum actione. Nonnulla pertinent ad usum Ecclesiae graecae antiquioris.

F. Cabrol, *La fête de Paques, et la réforme du calendrier grégorien*, t. LXIX, p. 513—527.

Quaeritur, num legitimum sit desiderium eorum, qui festum Paschatis quolibet anno eadem die certa celebrari volunt, numque rationes legitimae sint, quibus Ecclesia adduci possit ad veterem disciplinam immutandam. Controversia de kalendario gregoriano a Russis recipiendo commemoratur. Tenet Summum Pontificem hunc permulta immutasse in liturgia, quae mutanda esse haud videbantur. Nonnulla tamen sunt, in quibus non sine periculo traditio neglegeretur. Festum Paschatis semper die dominico est celebrandum. Diem Paschatis fortasse constituti posse diem dominicam quae subsequitur diem 25 mensis martii.

P. Godet, *L' Abyssinie et la primauté du Saint-Siège*, LXX, p. 181—193.

Negat Ecclesiam Habyssiniam post lapsum in monophysismum primatum romanum credere desiisse. Testimonia huius primatus inveniuntur

in codice legum (Fetha Nagast) quem typis edidit I. Guidi, Romae, 1897, 1899; epistola patriarchae copti Ioannis missa concilio florentino, anno 1441; oratio legati Meneliki II, habita in aedibus Vaticanis die 8 octobris 1907.

A. D. Sertillanges, L'Église et les Églises, t. LXX, p. 257—277.

Quaedam de habitu Ecclesiarum orthodoxarum, p. 272—273, maxime de nationalismo. Minus recte tamen, velut cum dicitur: „Pauvre Tsar! qui doit trancher des questions doctrinales ou sacramentelles et dire: Telle est ma volonté immuable, en des matières qu' il ignore profondément et pour lesquelles il sait bien, je l' espère et le crains pour lui, n' avoir reçu mission de personne!“

A. Villien, L' Extrême-Onction, t. LXX, 1912, p. 641—667.

Pauca de ritu administrandae extremae unctionis in Ecclesiis orientalibus, pag. 651—653.

J. Bousquet, Une question toujours actuelle: la réunion des Églises, t. LXXI, p. 5—26.

Primum agit de condicione unitorum, quos vocant, Ruthenorum, Graecorum etc. Difficultates deinceps exponit quae impediunt unionem Ecclesiarum: odium dico catholicismi et discrepantias dogmaticas. Complura hic de Beatissima Virgine a peccato originali praeservata exponuntur. De diversis modis adhibendis ad obtinendam unionem disputatur: de latino ritu inducendo (latinisation); de constituendis Ecclesiis unitis; de membris Ecclesiarum orthodoxarum habendis pro catholicis. Modus constituendi Ecclesias unitas placet scriptori. Quaedam de Solov'evio et tertio modo explanantur.

A. Palmieri.

VARIA.

De IV. conventu Velehradensi.

Ex gravibus causis Conv. IV. Velehradensis differtur in a. 1914.

In Cerkovnyj Věstnik 1913 No. 10 Prof. N. Glubokovskij exponit res in conventu IV. explicandas a theologis orientalibus et commendat iis his verbis: Dlja pol'zy vselenskago děla cerkovnago, konečno, ves'ma važno, čtoby na bližajšem Velegradskom s'ězdě pravoslavnyja vozrženija i tolkovanija byli predstavleny ob'ektivno, osnovatel'no i vsestoronne.

LITTERAE THEOLOGICAE SLAVORUM.

Quomodo sacri Codicis bohemicus iubilaeum quingentorum annorum digne celebrandum sit.

Conspectus recentiorum de antiqua bibliorum versione bohemica litterarum et consilia.

Singulis temporibus, praesertim redeunte memoria aliquoties centum annorum, viri docti cum theologi tum philologi inquirere solent in vim et momentum singularum, imprimis antiquiorum versionum biblicarum.

Quod factum esse vidimus trecentis annis post Sixtinam (1590) et tres Clementinas (1592, 1593, 1598) editiones Vulgatae latinae. Permulta iis annis scripta sunt de historia Vulgatae, ex qua tot Europae populi suas iterum versiones curaverunt, cuius lingua, ut loquar verbis SAMUELIS BERGER in prooemio libri „L'histoire de la Vulgatae pendant les premières siècles du moyen âge (Parisii 1893), radix erat recentis sermonis gallici. Illis annis posita sunt laeta fundamenta ad accuratissimam Vulgatae editionem ad fidem plurimorum codicum mss. adornandam.

Anno 1893, trecentis annis post versionem bohemiam *Fraterum bohemorum* Kralicensis, exemplar illud purissimae linguae bohemicae ab omnibus laudatum tomo sexto (N. Test.) consummatam, Bohemi — utique laudibus magis quam studiis solidioribus memoriam illam relegebant.*)

Anno 1910 Angli tertium centenarium diem celebrabant ab edita versione „regali“ a. 1611. confecta. Qua occasione plurimi commentarii et libri editi sunt, huius et aliarum versionum Anglicarum historiam illustrantes. Memini cl. Strong, tum praefectum urbis Londinensis, in curia Pragensi eo anno de iubilaeo illo locutum esse et vim sacrarum paginarum laudibus extulisse.

A. 1912 Russi secundum diem centenarium ab editione biblica „Petrina“ obibant; hoc iubilaeo aptissime usus est cl. Evsëv, ut in actis „Hristianskoe čtenie“ (1911, 1912, 1913) serie commentationum accuratissimarum non solum russicae, sed, quod maius est, veteris slavicae versionis sortes copiosissime narraret, pretio-

*) Felicius iubilaei illius initium obierunt JOS. ŠMAHA, Kralická bible, vliv a důležitost její v lit. české, Čas. česk. Musea 1878 p. 252, 361, 481 Sq; Kralická bible a vliv její na pozdější překlady biblí českých, ibidem 1879, p. 26—33; (KARAFIAT), Rozbor Nov. Zák. bible Bratrské. Praeae 1878. — Cf. STANISLAV SOUČEK, O bibli kralické. Brunae 1910.

sissimam partem eius versionis, dico Cyrillo-Methodianam, eruere conaretur, vim veteris slavicae versionis in bohemiam et polonicam statueret et ante omnia viam sterneret operi maxime necessario, quod ab omnibus, quorum interest, inde a multis annis desideratur, criticae editioni codicis sacri slavici veteris.

Etiam Bohemis celebrandum est his annis iubilaeum biblicum; nam codices manuscripti bohemicus totius scripturae sacrae antiquissimi, quorum scribae diserte operi suo annum apposuerunt, ex his annis sunt:

Codicis Litomericensis tomus I. ex a. 1411, tomus II. ex anno 1414; codex Olomucensis ex anno 1417.

Praeterea textus antiquissimi pars servata est in manco codice bibliothecae Clementinae Pragensis litteris glagoliticis scripto, cuius scriba annum 1416 in calce tomi adscripsit.

Cum hi anni nihil aliud significant nisi laborem scribarum, quaerendum est, fuerintue codices illis, quos attulimus, forte antiquiores, quorum scribae annum, quo describendi finem fecerunt, non significaverint.

Atqui in hac re in duas partes abeunt, qui de his rebus locuti sunt: Josephus Jireček ex prioribus duobus tomis codicis Litomericensis coniecit tertium forte anno 1416 ad finem perductum esse, et ex ordine singulorum librorum illius codicis mirum in modum turbato demonstrasse sibi visus est, hunc codicem Litomericensem omnium bohemicorum esse antiquissimum; ideoque circiter anno 1416 primum collatos esse in unum codicem omnes libros versionis bohemicae. Quam sententiam, saltem in aetate summa codicis Litomericensis statuenda, plerique viri docti amplectuntur.

Aliter iudicaverat Dobrovský. Inter biblicos codices, in quibus annus, quo scripti sunt, non est adnotatus, vetustate cum palaeographica tum philologica eminent codex Leskovecianus bibliothecae regiae Dresdensis. Hunc codicem Dobrovský cum inspexisset et ingeniose cum textibus aliquot aliorum, quos memoravimus, codicum comparasset, invenit, eum ponendum esse inter annos 1390—1410. Exceptit tamen partem Novi Testamenti, quae cum ab alia manu scripta esset atque codicis pars longe maior, illi recentior videbatur codicis corpore.

Haec exceptio, quod ad scriptionem attinet, aliquam speciem veri habet; quae tamen species nullo modo extendenda est ad linguam illius extremae partis codicis, quod Flajšhansio aliisque post Jirečium placuit; is, qui codicem ipsum viderit et singulos loco illius partis, de qua sermo est, diligenter cum textibus codicis Olomucensis et Litomericensis contulerit, statim sibi persuadebit, tantum abesse, ut textus extremae partis codicis Leskoveciani sit aliis recentior, ut sit sine dubio antiquior.

Quam comparisonem, qui hoc scribit, non solum in hac parte codicis, sed etiam in multis aliis instituit; materiam amplam philologam, quae non est huius loci, brevi tempore iuris publici se facturum sperat.

Alia comparatione instituta adducor, ut codicis Leskoveciani originem in annos 1360—1380 verisimili coniectura ponam. Praeterea quod lingua codicis huius aliis antiquior hoc suadet, idem inde efficitur, quod textus evangelicus huius codicis miro modo congruit cum codice „Čtenie zimního času“, quem viri docti Gebauer et Patera, nemine reclamante, ortum esse inter a. 1360—1380 putant. Quin in codicis Leskoveciani textu evangelico partes inveniuntur lectionibus, quas praebet „Čtenie zimního času“, evidenter antiquiores. Non est igitur, quod non putemus codicem Leskovecianum eodem tempore ortum esse. Quae cum ita sint, certum fere videtur esse, iam saltem anno 1380 in unum collatas esse singulas minores partes versionis bohemicae, adeo ut iubilaeum quinti centenarii iam dudum praeteriisse censendum sit; quod quia ante triginta annos viros doctos propter errorem Jirečkii fugit, praestabit, iubilaei eius memoriam his annis obire, e quibus exstant codices certo aetatis indicio instructi.

Tale iubilaeum, iam per se memorabile, maiorem nanciscitur vim, si reputamus, anno 1380 paucissimas Europae nationes versionem totius Codicis sacri habuisse; magni igitur est momenti ad historiam culturae animorum, si iam eo tempore alicuius linguae homines ea praerogativa gavisi sunt. Ut aliquas saltem alias nationes afferamus: Anglos demum a. 1382 cura Wicleffii, non quidem ipsius vertentis, sed antiquiores catholicas singulorum librorum versiones in unum colligentis Codicem sacrum vernaculum accepisse sumitur*); Germani, quamquam singulas partes, praesertim evangelia et psalterium, antiquissimas habent, gloriari vix possunt ullo codice XIV. saeculi, omnes libros sacros complectente; nam codex sacer Wenceslai IV. germanicus (bibliothecae Palatinae Vindobonensis), etsi non omnes libros, tamen maiorem saltem Veteris Testamenti partem complectens, ideoque super similes codices germanicos amplitudine eminens, non constanter, ab aliis paenultimo, ab aliis ultimo anno saeculi XIV. scriptus esse existimatur; neque ullum totius scripturae s. codicem, saeculo XIV. certo tribuendum Germani habent.

Atque slavicas gentes si respicimus, codicis s. bohemicum momentum summum est; nam ne vetus quidem slavica versio eo tempore completa est; anno demum 1499. cura archiepiscopi Novgorodensis Gennadii, labore Dominicanum Benjamin, Croatae glagolitae, secundum exemplar canonis Vulgatae latinae, linguae slavicae veteris codex biblicus universus in unum collatus est — plus quam centum annis post bohemicum, qui ideo inter slavicos omnes antiquissimus est.

Versio igitur bohémica attentione animi et studio omnium digna est, qui litteris slavicis student, praesertim cum Poloni quoque versionem bohemicam, id quod iis temporibus facilius

*) Cf. *Sýkora*, Úvod do Písma sv. Nov. Zákona I 1904 p. 330—332; Čas. Mod. Fil. II, 1912, pag. 473.

erat quam nostris, ne Vulgata quidem adhibita, sermone polonico transcripserunt circiter saeculo XV. medio; similiter primam bibliorum in linguam russicam vernaculam (Russiae minoris) versionem medici Skorinae cura comparatam (circ. a. 1520) originem codici sacro bohémico, et ei quidem iam typis expresso debere constat; quodque mirabilius est, prima editio bibliorum sermone vetere slavico confecta textum nonnullarum partium Vet. Testamenti, ut Cantici canticorum, ex exemplaribus bohemicis typo expressis mutuata est: dico editionem Ostrogensem a. 1581.

Quae omnia accurate suis finibus constituere et definire operae pretium est; quod ut apte et commode fiat, imprimis opus est sedulo operam dare codicibus s. bohemicis, plenis potissimum inter antiquissimos, melius cognoscendis.

Prima enim Codicis sacri in bohemicum conversi tempora nondum ita perspecta et cognita sunt, ut studiis, quibus ad hoc tempus materia haec tractata est, nova, uberiora, fortasse etiam solidiora addi non possint.

Cuius rei causae multae sunt. Inter quas primo loco ponenda est copia Codicis sacri bohémici exemplarium manuscriptorum tanta, ut complures nondum publice cogniti sint, ut nondum omnes codices, per terras bohemicas aequae ac dissitas dispersi, in indicem omnes illos libros comprehendentem relati sint, et si qui in indicibus quarundam bibliothecarum ponuntur, descriptionem sortiti sint adeo mancam, ut studiorum horum usui aegre satis fiat. Praeterea cum multi codices aut in privatis bibliothecis delituerint aut in publicis quidem sint, sed valde dissitis (Romae, Oxoniae, Moscoviae), saepe eorum aditus impeditur. Quodque in hac re caput est, Praegae, ubi haec studia locum quendam proprium habere et florere possunt, nullus vetustissimorum codicum servatur, qui omnes aut complures bibliorum libros contineat.

Quo factum est, ut usque ad hodiernum diem neque clare cognoverint viri docti philologi aut theologo, quando versiones bohémicae singulorum librorum biblicorum in plenum Codicem sacrum collatae sint, quot codices bohémici ex iis, qui servati sunt, scripti sint sine dubio lingua illa saeculi XIV, quae vetustatis aerugine quadam nobili induta est; neque vere sentiant de tempore, quo haec vetus versio novioribus linguae temporibus accommodata est, et sic recensio, quam dicunt, alteri originem dedit; neque probe distinguant numerum aut discrimina singulorum recensio-

nae. Quaeestiones hae, cum per se magnam vim habeant, maiorem nanciscuntur propterea, quod ex iis solvendis aliarum solutio pendet, ut inveniendum exemplar bohémicum, ex quo versio polonica exscripta est; in cuius rei studio permulti viri philologi Poloni frustra multam operam consumpserunt, neque certi quidquam invenerunt.

Alia quaestio ante viginti annos acriter agitata est, num exstarent ulla linguae biblicae palaeoslavicae in Codice sacro bohe-

mico vestigia; rebus infectis, quaestione solide non dirempta ii, qui aequo animo aggressi sunt hanc rem, cognoverunt, nondum perfecta esse ea studia, sine quibus quaestio solvi non potest.

In quorum studiorum numero prima est editio Codicis sacri bohemici vetustissimi adornanda, opus satis amplum et arduum propterea, quod disquisitio necessaria ad eam perficiendam nondum facta est.

Etsi enim singuli bohemici codices manuscripti materiarum biblicarum editi sunt — cum textus evangelistariorum, tum pleraque psalteria, philologis Bohemis pretiosissima, — tamen haec studia nimis minuta sunt, si totum Codicem sacrum spectes; praeterea plerique textus editi aliam prorsus versionem habent atque codices pleni, quorum imago prae ceteris cognosci debet, ut studia haec progredi possint.

Sed in hac re expedienda paucissimi viri docti laboraverunt. Si singulorum codicum descriptiones utcumque accuratas omittas, quippe quae quaestionem non temptent universam, in vetustissimis bohemis plerisque comparandis et in certos ordines plus minusve antiquos redigendis duo tantum viri philologi versati sunt atque nova protulerunt et talia, quae proprio studio didicerant, Jos. Dobrovský et Jos. Jireček; in omnibus libris, quotquot sunt ex eo tempore de bohemiarum litterarum historia, alterutrius decreta repetuntur, neque quidquam iis additur, quod mentione dignum sit.

Ad utriusque igitur illius viri philologi commentationes recurrendum est ei, qui ultra progredi ausurus est, et quod vix credas, non posteriori Jirečkio, sed antiquiori Dobrovskio maior fides et vis tribuenda est in quaestionibus huius studii summis; quamquam ne ille quidem omnis erroris expers est.

Exemplum statim affero. *Dobrovský* (Ueber den ersten Text der böhm. Bibelübersetzung, Abh. d. königl. böhm. Ges. d. Wiss. 1798) secundum veritatem post diligentissima et frequentissima studia propria, omnibus codicibus, quos mox commemoravero, inspectis, antiquissimae seu „primae“ recensione boh. codicis sacri hos tantum libros manuscriptos adnumeravit: Leskovecium, Lito-mericensem, Olomucensem, Glagoliticum Pragensem. *Jireček* autem Leskovecio — ne inspecto quidem illo — abiudicata maxima inter omnes vetustate, praeter hos quattuor codices primae recensione, *Bedam Dudík* fere secutus, qui maxime palaeographicis usus erat argumentis, hos quoque codices falso adnumeravit, (v. Čas. čes. mus. 1872 „K rozboru staročeského překladu starého zákona“, p. 385—401):

1. codicem Christinae, reginae Sueciae, in bibliotheca Vaticana (de eo v. B. Dudík, Iter Romanum I., 1855, p. 215—220). Aliquot chartae diversarum partium huius codicis photographice depictae, quas mihi mittendas P. Fr. Ehrle S. I., bibliothecae Vaticanae praefectus, benigne curavit, certum esse mihi persuaserunt,

quod iam ex fragmentis in libro Bedae Dudík positis conieceram, codicem Vaticanum non priori, sed posteriori recensione esse vindicandum.

2. Eidem posteriori recensione omnino tribuendus est uterque codex Mikuloviensis Dietrichsteinianus, quem Jireček, (l. l. p. 393 sub f) et g)) Bedae Dudík auctoritati innixus, versionem continere dixit vetustissimam; utrumque hunc codicem cum vero textu primae recensione comparavi.

3. Nequaquam priori recensione dandus est „codex Litomericensis secundus“ a. 1429, quem Jireček l. l., contra Dobrovskium, nullis argumentis allatis, in eo numero posuit.

4. Codex Moscoviensis, olim Lobkovianus, nunc bibliothecae monasterii „Preobraženskaja lavra“ ibidem, a Iosepho Kolář (Věstník Král. Č. Spol. Nauk 1867 p. 5 sq.) in medio positus inter recensionem primam et secundam, a Jirečkio (loco laudato sub i)) primae adiudicatus, re vera totus quantus inter posterioris recensione codices referendus est; documento sunt tabulae aliquot ex eo photographice depictae, comitate P. Aurelii Palmieri O. S. A. a praefecto bibliothecae, quam nominavi, mihi benigne missae, quas cum textibus secundae recensione omnino convenire cognovi.

5. Nullo denique iure Jirečkium l. l. codicem s. Bočkii (olim Holmiae in Suecia, nunc Brunae in tabulario Moraviae) priori recensione dedisse facile cognoscit, quisquis eum cum quolibet textu posterioris recensione comparat.

Fragmenta minora, quibus miror viros doctos maiorem attentionem tribuisse quam codicibus completis, per ordinem enumerare supersedeo; quae ab editoribus plerumque antiquae recensione adnumerabantur, cum revera alteri danda essent.

Sed alia ex parte, cum cognitio totorum codicum s. antiquissimorum manca esset, factum est, ut in numero textuum primae recensione numquam numerarentur codices minores, ceterum notissimi; quorum alterum, „Čtenie zimního času“, cum prima recensione congruere supra commemoravi; alter textus est „Ev. sv. Matouše s homiliemi“, bibliothecae Clementinae Pragensis, quem in codicem s. Olomucensem et Litomericensem transiisse, et quidem cum homiliis quoque quibusdam a textu biblico alienis, horum codicum accurata comparatione inveni; homiliae vero illae nihil sunt nisi s. Thomae Aquinatis opus, quod „Catena aurea“ inscribitur, in Bohemicum conversum. (Materiam, ex qua singula haec manifesta sunt, in promptu habeo; hoc loco eam proferre longum est.)

Amandatis igitur textibus novioribus, haec fere est copia, cuius divitiae penitus exhauriendae sunt ei, qui editionem antiquissimi codicis bohemicum temptaturus est. Hac opera dignissimo modo quintus centenarius annus versionis bohemicae celebrari potest; hac sola fundamentum solidum poni potest ad minores textus

biblicos, a versione illa quidem discrepantes, vetustos tamen, inter se comparandos et varias quaestiones, quae cum hoc studio cohaerent, dirimendas.

Aptissime igitur ad hunc locum *Venceslaus Flajšhans* dicit: „Na prvním místě je potřebí vydání překladu staročeské bible, je ho třeba jako soli: v něm potom jednotlivé evangeliáře, žaltáře, proroci . . . naleznou již příslušné místo“ („Staročeské památky“, Osvěta 1905 II, p. 1033).

Anno 1912 Dr. *Josephus Vašica*, cum commentationem scriberet „Několik poznámek k evangeliáři Olomouckému“ (2. výroční zpráva k. a. gymnasia v Kroměříži), p. 10 hoc modo de nonnullorum evangeliariorum inter se rationibus iudicavit: „V evangeliáři Olomouckém jeví se vliv dvou různých redakcí staroč. evangelistářů, s jedné strany evang. Seitenstettského a Vídeňského, s druhé „Čtenie zimního času“ a evangeliáře Benešova. A písař měl obě předlohy a kompiloval, více se však klonil k redakci, jak se nám jeví v Ev. Seit. a Vid.“

Quodsi vir doctus ad hanc accuratam comparisonem utrumque textum totius codicis s. bohemicí et priorem et posteriorem adhibuisset, etiam accuratius de evangeliarii Olom. origine disputare potuisset; ceterum id se alias copiosius facturum esse Dr. Vašica pollicetur.

Editio veteris codicis s. bohemicí aptissima erit ad finiendam quaestionem, olim inter *Dobrovskium* negantem et *Dobnerum Durichumque* aientes agitatam, num quaedam vestigia veteris versionis slavicae in bibliis bohemicis extarent, quam quaestionem, ante viginti annos a *Venceslao Vondrák* incohatam sine editione vetusissimi codicis s. bohemicí solvi non posse *Georgius Polívka* (Čas. česk. musea 1895) confessus est.

Quare mirum mihi videtur esse, quod vir doctus *I. E. Evsěev* (Hristianskoe Čtenie, Petropoli 1912 t. XII. p. 1353) confidentius haec fere dicit: „Si biblicae versiones bohemicae saeculi XIV., polonicae saec. XIV.—XVI auctoritati sacri textus slavici veteris satis multum debuerunt, eandem vim memoriae versionum s. Cyrilli et Methodii ex Occidente venientis concedere sine dubio debemus ad illud explicandum, quod in sola Russia occidentali multi codices inveniuntur, qui signa antiquissimae versionis Methodianae exhibent. Ceterum haec textuum codicis sacri slavici ex Bohemia in Poloniam et in Russiam montibus Sarmaticis adiacentem via explicanda erit ex ratione, qua vestigia textus slavici veteris in versionibus bohemicis et polonicis et veteribus textibus Russiae montibus Sarmaticis adiacentis servata sunt.“

Confidentius dicta esse, quae Evsěev his verbis enuntiat, primum inde apparet, quod vir doctus, ceterum in litteris, quae huc spectant, maxime versatus, ex plurimis de vi versionis slavicae veteris in bohemicam disputationibus praeter editionem *Menčikii* „Dva evangelistáře“ solam fere videtur novisse *Vondrákii* dissertationem „Die Spuren

der altkirchenslavischen Evangelienübersetzung in der altböhmischen Literatur“, Wien 1893, SWA, phil.-hist. Kl. Bd. 129. Fugisse virum doctum videtur satis magna series commentationum de hac materia, in quibus a. 1894, 1895, 1896 imprimis in actis „Čas. česk. musea“ de Vondrákii opinione disputaverunt viri docti *Po-
lívka, Flajšhans, Vondrák* ipse, (cf. imprimis „Čas. Č. Mus.“ a. 1895 multis locis; praeterea conspectum harum disputationum in opere „Památník České Akademie“ 1898, in parte III. a, „Dějiny literatury české“, p. 39—40, a Dr. *Jos. Hanuš*).

Cum Evsěev l. l. etiam Josephum Jireček admisisse vim slavicae versionis in bohemicam contendit, vehementer errat, cum Jireček vim illam neget. (Čas. č. mus. 1864 p. 143, Rukověť k děj. lit. české II, p. 116.)

Cautius loquendum erat de momento textus slavici veteris ad biblia polonica antiquissima, quae Evsěev l. l. enumerat. Ea omnia esse exscripta e codicibus s. bohemicis in dies clarius cognoscunt viri docti philologi Poloni; bohemico textu solum intercedente quondam *Vondrák*, et is quidem timide l. l. opinabatur aliquo modo textum polonicum e slavico vetere pendere, quod accuratius esse ostendendum confessus est. Quod vix unquam continget; nam si qua omnino vestigia linguae slavicae veteris in versione bohemica erant, quisquis textus polonici ad bohemicum rationem perspexit, non dubitat, quin vestigia illa omnia in exscriptione textus bohemici in polonicum peritura fuerint.

Si suo tempore codex s. bohemicus antiquissimus editus esset, vel si saltem cum genuino textu evangelico primae recensionis comparatum esset famosum illud a Venceslao Hanka suppositum „Evangelium sv. Jana“, fortasse prius detectum esset minoremque confusionem fecisset; quamquam enim a. 1886 chartas illas falsis glossis instructas esse *Patera* perspexit, tamen, ut ut exemplum afferam, in notissima *Tischendorfii* editione „N. Test. graece“, (editio maior octava 1894), parte III. Prolegom., (edenda curavit post mortem *Tischendorfii Gregory*) adhuc illud subditum tamquam testimonium textus Vulgatae saec. X. adfertur!

Veriora textus s. bohemici vestigia in „Glossis Vindobonensibus Jagićii“. inveniuntur. Hae glossae partim sunt bohemicae, partim lingua vetere slavica scriptae. Bohemicas editor*) cum textu codicis s. Padeřovensis (Jagićius eum vocat: biblia Taboritica) bibliothecae Palatinae Vindobonensis comparavit et similitudines quasdam invenit; plures invenisset, si ei ad manum fuisset textus recensionis prioris; quod expertus sum, cum glossas illas Vindobonenses iuxta eum ponerem; codicem autem Padeřovensem a. 1435 posteriorem recensionem exhibere inter omnes constat.

Si editio codicis s. bohemici typis expressa praesto esset, iam dudum plurima studia virorum philologorum Polonorum de

*) *Vatroslav Jagić*, Kirchenslavisch-böhmische Glossen saec. XI—XII. Denkschriften der Wiener Akad., phil.-hist. Klasse 1904, L. Band, pag. 1—44.

exemplari bohémico „bibliorum reginae Sophiae“ ad optatum finem propius accedere potuissent. Nam inde a centum fere annis, praesertim vero ab eo codice polonico a. 1871 edito plurimae huic rei datae sunt disquisitiones, alia alium quaerens exemplar, nec tamen certi quidquam effectum est, ita ut iusta sit querela *Adami Babiaczyk*, qui cum operi suo „Lexikon zur altpolnischen Bibel 1455 (Sophienbibel)“, Vratislaviae 1906, copiose praefaretur, p. 6. dicere coactus est: „Ich muss hier mein Bedauern darüber aussprechen, dass mir leider kein alttschechischer Gesamttext zur Verfügung stand, da die alttschechischen Bibeltexte, die hierbei allein in Betracht hätten kommen können, wie die Leskovizer, Leitmeritzer, Moskauer, Olmützer und Stockholmer Bibel, sowie der Zablockische Kodex, bisher nur handschriftlich bekannt sind.“ Atque si codex boh. antiquissimus editus esset, commodius poterat totus textus polonicus cum bohémico comparari, quod usque ad hodiernum diem a nullo factum est, poteratque inveniri, biblia polonica nequaquam e prima recensione bohémica pendere, quod post *Jirečkium* (*Bibli staropolská*“, ČCM. 1872, p. 297—312, cf. ČCM. 1864 p. 142) passim repetitur, sed e secunda recensione transcripta esse; antequam materias comparatas collegero, conferant, velim, quorum interest, e. g. initium libri Tobiae versionis polonicae et cum priore et cum posteriore recensione bohémica.

De versionis polonicae e bohémica origine innumerae fere, ut ita dicam, scriptae leguntur commentationes, quarum plurimas adfert *Babiaczyk* in proemio operis, quod laudavimus. Summis viribus contendunt viri docti Polonici, ut inveniant proximum exemplar bohémicum; in qua re investiganda varias vias ac rationes adhibent. Velut recentissima commentatio, cuius initium *E. Hanisch* actis „Archiv f. slav. Philologie“, J. 34, Berolini 1913, p. 402—421 inseruit, novam ingreditur viam, cum lectiones polonicas variantes a lectionibus latinae Italiae repetere conatur... Solido fundamento disquisitiones tales carebunt, donec inter recensione posterioris codices bohemicos ille, qui exemplari proximus est, invenietur; aptissimi ad quaerendum in hac re errores scribarum bohemicorum sunt, qui in polonicum textum transierunt.*)

Editis bibliis bohemicis praeterea comparatio institui poterit inter textum bohemicum et illos germanicos, qui orti sunt in Bohemia; (de quibus v. *Toischer*, *Mitth. d. Vereines f. d. Gesch. d. Deutsch. in Böh.* 30, 394; *Walter*, *Die deutsche Bibelübersetzung des Mittelalters* I. II. III. 1889—1892, Braunschweig, passim; *Mourek*, *Sitz.-Ber. d. kön. böhm. Ges. d. Wiss., hist.-phil. Klasse*,

*) De bibliorum antiquorum polonicorum cum bohemicis necessitudine praeter *Babiaczykii* opus utiliter consuli possunt hi libri vetustiores: *Nehring*, *Altpolnische Sprachdenkmäler*, Berolini 1886 (pag. 14. seq.); *A. Brückner*, *Literatura religijna w Polsce średniowiecznej*, tom II.: *Pismo święte i apokryfy*. Warszawa 1903 (*Biblioteka dzieł chrześcijańskich* 29). — *Stephani Zwolski* dissertatio „De bibliis polonicis, quae usque ad initium saeculi XVII. in lucem edita sunt“ de nostra re nihil novi adfert.

1892, p. 176—190); nescio an uberiores fructus latura sit quam illa inter textum bohemicum et veterem slavicum comparatio.

Cum cognoscendae antiquissimae bibliorum versioni datur opera, id quoque apparet, amandandos esse a prima recensione bibliorum bohemicorum etiam locos scripturae s., quoscumque M. Ioannes Hus in scriptis suis, imprimis in Postilla et in Cantici canticorum explicatione adfert, qui loci Hussiani fere primae recensione tribuuntur. Nam ducti illa falsa opinione Jirečkii, fingentis demum a. 1416 primam collectionem totius codicis s. boh. factam esse, quae utique textum antiquissimum praebebat, putabant putantque etiam hodie plurimi viri docti, recensionem alteram non prius quam post hunc annum 1416 ortam esse posse, traditurque passim, sine ullo historiae testimonio, auctorem huius correctionis vel secundae recensionis Hussium fuisse, si non propria opera, saltem hortando asseclas, qui circiter anno 1420 huic alteri recensionem operam navassent. Itaque hanc opinionem solidis fundamentis carere ratione, quae sequitur, cognovi.

Quia inveniuntur textus primae recensionis ultimi ex anno 1417, cum omnia conquirerem, quae haberent illum textum antiquissimum, aliquot textus eo fere tempore ortos contuli et cum priore recensione et cum posteriore. Cuius quasi normam habui „Biblia Taboritica“ biblioth. Clem. Prag. annis 1420—1430 scripta. Et ecce, cum textu hoc recensionis posterioris non solum Nov. Test. scriptum anno 1425 (vulgo „Kořeček“ . biblioth. Clem. Prag.) concordabat, sed etiam hi omnes textus antiquiores: N. Test. Těšínense (in bibliotheca musei a Šeršnikio fundati) scriptum anno 1418; textus Nov. Test. a 1417 (codicis olim monasterii Crucigerorum Pragae, deinde Dobrovskii, quem inde a centum annis latentem, anno 1912. ab antiquario bibliotheca univ. Budapestinensis emit; textus evangeliorum Postillae Hussianae scriptae anno 1413; textus N. Test. a. 1406. bibliothecae capituli Mikuloviensis.

Hos omnes apparuit esse recensionis posterioris; et ita inter se congruebant, ut antiquissimus textus Mikuloviensis, qui praeter Nov. Test. etiam Psalterium et Libros Sapientiales continet, plerumque cum ceteris conveniret, saepissime vero noviores lectiones praeberet quam omnes ceteri textus recensionis secundae. Quo luculento argumento recensionem secundam iam initio saeculi XV, primis eius annis ortam esse probatur, nequaquam demum circiter anno 1420. Quae cum ita sint, actum est de opinione dicentium, demum Hussium hortantem discipulos et asseclas secundae recensionem adornandae initium dedisse.

Inde a Dobrovskio viri docti, auctoritatem eius cum sequantur, docent, quattuor esse recensiones bibliorum bohemicorum manuscriptorum. Sed nemo umquam, ne Dobrovský quidem, quantum scio, quo modo hae singulae recensiones inter se differrent docuit, nisi quod vagum illud et incertum, aliam alia esse noviolem, statutum est. Dobrovský quidem dicit in altera editione hist. lit. boh. (1818), praeter alios codices ad secundam recensionem per-

tinere codicem Padeřovensem a. 1435; tertiae recensione tribuit codicem Neostadiensem (bibl. monast. Cisterc. prope Vindobonam) a. 1456, quartae recensione Strahovensem (anni incerti). In quibusdam vero epistulis Dobrovský ambigue de hac re loquitur, cum modo tres, modo „saltem quattuor“ recensiones esse opinetur.

Quae ambiguitas cum mihi suspiciosa videretur esse, cumque proprio studio cognovissem, codicem Strahovensem ex omnibus bibliis manuscriptis posterioris aetatis linguam habere primae recensione fortasse proximam, comparatis quibusdam locis codicum Padeřovensium, Neostadiensium, Strahovensium, quos Dobrovský omnes recensionibus distinguit, excepta ratione et formula scribendi textus illos omnino inter se congruere inveni, unde minorem statuendum esse numerum illarum recensionum suspicor.

Sed ut hoc certo affirmari possit, necessarium est omnes quoscumque codices recentiores percurri et comparari, quod in eorum tanta copia — quinquaginta enim fere numerantur libri manuscripti, quorum media pars totius codicis s. libros complectitur, altera saltem Nov. Test. aut alicuius partis bibliorum — eo difficilius est, quod nondum collectus est index, qui omnes eos codices recenseret et saltem in aliquos ordines distingueret.

Si quid video, tale signum propinquitatis inter illos codices recentiores e. g. afferri potest illud praefationum ante singulos libros biblicos adnexarum. Certum est enim, primam recensionem carere illis praefationibus — exceptis aliquot paucis.

Alia res apta ad inveniendos tales ordines, et priore fortasse melior, est accurata codicum singulorum in indicibus manuscriptorum descriptio, ita comparata, ut initia et fines („incipit — explicat“) cum singulorum et omnium librorum biblicorum, tum etiam praefationum, si adsunt, diligenter exscribantur. Quae ratio accuratiora illorum codicum studia valde iuvabit; quamquam enim etiam breves eorum descriptiones, quae in indicibus iam editis inveniuntur, multum prosunt harum rerum studiosis, tamen ratio, quam indicavi, et quam sollertissime impletam video in duobus voluminibus indicis manuscriptorum monasterii Escorial in Hispania, quos P. G. Antolín adornavit (1911), valde commendanda est iis, qui similes indices edituri sunt.

Haec fere sunt, quae habui summis labiis dicenda de studiis, quae promoverent cognitionem thesauri illius et theologis et philologis bohemicis pretiosissimi, quem in nobili illa aerugine vetustissimorum Codicis sacri manuscriptorum habent; quorum studiorum saltem pars si perficeretur, dignam hanc celebrationem semimillennii bibliorum bohemicorum putarem.

Quorum studiorum membra disiecta plurima inveniuntur in multis epistulis Dobrovskii ad amicos Dobnerum, Durichium, Kopitarum, Ribayum, Zbobickium, alios datis, quae adnotationes quasi a transcurrente chartae commissae, sedulo colligendae sunt; quod qui conatus erit, pretiosiora inveniet non pauca iis, quae

post Dobrovskium multo tempore, viri ingeniosi studia ignorantes, minus bene de singulis codicibus dixerunt alii.

Et haec quidem non solum de bibliis manuscriptis valent, sed etiam de iis, quae typis edita sunt; itaque historia codicis s. bohemici universa fructum non spernendum e studiis Dobrovskii in unum collectis lucrabitur. Qua re adducor, ut ulterius alia studia iubilaria proponam: historiam dico uberem et omnibus, quoad fieri potest, numeris absolutam, omnes versiones bohemicas codicis sacri usque ad nostros dies recensentem. Quod post *Elsnerum**) *Fr. Novotný* temptaverat, cum a. 1811 librum ederet, qui inscribitur „Bibliotéka českých biblí“, cuius usui omnia collegit, quae ad illa tempora Dobrovský aliique de bohemicis versionibus docuerant. Quae *Jungmann* in historia litterarum boh. habet, caute adhibenda sunt, cum multa ab aliis non accurate scripta suo operi inseruerit.

Jos. Jireček plurimas commentationes magna cum diligentia et singulari studio versionibus bohemicis dedit, quas breviter collegit in opere „Rukověť literatury české“ 1876 t. II. p. 216 sqq. sub voce „Písmo sv.“ Aliqua tamen eorum, quae dicit, opinionibus niti falsis exemplo quodam supra monstravi.

E recentioribus studiis, quae historiam universam bibliorum bohemicorum texunt, imprimis nominanda sunt: Viri philologi *A. Leskien* commentatio in opere „Urtext und Übersetzungen der Bibel“ (Sonderabdruck aus der dritten Auflage der Realencyklopädie für protestantische Theologie und Kirche, Leipzig 1897), ubi Lipsiensis professor linguarum slavicarum inter versiones slavicas dat p. 221—223 textibus bohemicis.

Uberiores conspectus legi possunt apud *Dr. Jaroslava V. Sedláček* in libro „Úvod do knih Starého Zákona“, Pragae 1904, p. 123—131, et copiosissima historia bibliorum bohemicorum inserta est operi *Dr. Ioannis L. Sýkora*: „Úvod do Písma sv. Nového Zákona“, dil. I., Pragae 1904, p. 332—350.

Conspectus historiae bibliorum bohemicorum uberior, quem scribi convenit, inniti potest commentationibus, quas nunc laudavi; sed sunt quae in iis minus clare proponantur, alia quae erroribus ansam praebere possint, alia, quae philologorum antiquiorum erroribus contineantur; quibus sublatis plurima addenda sunt, haurienda ex editionibus biblicis et commentationibus virorum philologorum recentissimis, quae his decem annis publici iuris factae sunt.**)

*) Zpráva historická o rozličných . . . vydáních . . . Biblií svaté . . . , in editione „Biblií svatá . . . podle starých vydání bratrských“. Halae Saxonum 1766, p. 3—16; eiusdem scriptoris „Versuch einer böhmischen Bibelgeschichte“, Halis 1765.

**) Talem conspectum e. g. nuperrime scripsit *Jagić*, Die serbokroatischen Übersetzungen der Bibel im Ganzen oder einzelner Teile derselben, A. f. sl. Ph. XXXIV 1913, 407—532 . .

His studiis biblicis addenda est cura veterum bohemicorum lexicorum biblicorum, „mammothrectos“ dico et adiumenta similia, quorum ratio ad textus biblicos antiquissimos anquirenda est, utilitatem certe his studiis allatura.

Neque inutile est quaerere, quomodo scriptores bohemici saec. XIV. et XV. textu biblico usi sint, utrum priorem an posteriorem recensionem adierint, an forte ex latinis exemplaribus locos ab ipsis conversos operibus suis inseruerint (cum alii, tum Štítný materiam amplam suppeditare possunt); mitto, ne plus aequo postulare videar, momentum illud, quod ad haec studia homiliae quaedam habent, velut Petri Comestoris „Historia scholastica“, alia.

Coronam vero opinor impositum iri his studiis iubilariis, si brevi tempore desiderium novae versionis bohemicae implebitur, quae in dies magis fit necessaria. Audiamus virum theologum, qui studiis biblicis felicem navat operam, Dr. J. Hejčl, qui (in Brunensibus actis „Hlídka“ 1913, nr. 1. p. 1.) haec dicit: „O překlad N. Zák. postaráno povolanou rukou prof. Sýkory. Něco bylo sice pracováno na textu St. Zák. (Mlčoch, Sedláček), nemáme však dosud překladu celé Bible, který by byl srozumitelným též lidu tak, aby mohla se státi Bible tím, čím bývala svého času — knihou lidovou, knihou rodinnou, by lid tuto královnu knih četl, by biblicky smýšlel, cítil a dle nauky v knize knih obsažené jednal a žil! Jest proto vřele vítati snahu správy „Dědictví sv. Jana“ v Praze (starosty praeláta Dra Tumpacha a redaktora metrop. kanovníka Dra. Podlahy), by pořízen byl nový překlad a opatřen časovými poznámkami, tak aby se mohl národ český i v této příčině postaviti po bok jiným kulturním národům katolickým, aby měl něco podobného, čeho v nejnovější době poskytnul Němcům Arndt, Heilmann a j.“

Dr. Hejčl l. l. scite viam ac rationem proponit ad opus illud summum necessariam; quod ego quidem scio, ratio haec codicis s. populo catholico adornandi laudem etiam illorum tulit, qui aliter de rebus religionis sentiunt (v. „Naše Doba“ 1913, fascic. Martio editum).

Inter alia Dr. Hejčl l. l. de finibus libertatis dandae codicis s. in linguam vernaculam interpreti disserit, cum exempla Allioli, Arndtii, aliorum commemorat. In hac re non pauca discere possunt, quorum interest, ex versione bohemica antiquissima, de qua Dobrovský (Über den ersten Text der böhm. Bibelübersetzung 1798, p. 253) haec habet: „Die Übersetzung in den ältesten Bibeln ist im Ganzen ziemlich gut geraten. Der Übersetzer hat auf das Bedürfnis der Leser seines Zeitalters Rücksicht genommen. Er war bemüht, sich deutlich im Böhmischem auszudrücken, um leichter verstanden zu werden“. Similis, quod inter omnes constat, versionis nobilis libertas, neque tamen nimia, in antiquissimis partibus codicis s. slavici veteris conspicitur, quas s. Cyrillus et Methodius curaverunt. Viri philologi magnis laudibus s. apostolos slavicos efferunt, quod linguae

slavicae naturam secuti sint. Huc quoque igitur delegandus est, quicumque s. codicem in aliquam linguam slavica[m] convertere vult, praesertim cum sperandum sit, totum codicem s. slavicum veterem critice ad fidem omnium, qui servati sunt, librorum manuscriptorum editum iri. Quod opus summa laude dignum vir theologus Russus I. E. Evsěev (vide Hristianskoe Čtenie 1912) molitur.

Atque his propositis cum finem facio commentationis huius, videor mihi ostendisse, studium versionum s. codicis antiquiorum satis magni esse momenti, ut a recentissimo quoque scripturae s. interprete revolvantur.

Jos. Vraštil S. I.

Conspectus singulorum operum recentium.

Bohemica.

Dr. *Zdeněk Nejedlý*, **Dějiny husitského zpěvu. (Historia cantus Husitarum)**. T. I. Počátky husitského zpěvu. Pr. 1907 (530 p.)
T. II Dějiny husitského zpěvu za válek husitských. Pr. 1913. (952 p.)

Scriptor hoc libro primum optime meruit de colligendis edendisque cantionibus bohemicis, maxime Husitarum. Sed ne in hac quidem re omnia attigit. Nonnulla enim litterarum monumenta eum fugerunt; ut de aliis taceam minus notis, evangeliarium olomucense ignorat (II. p. 389), editum a. 1901 a Frt. Černý.

Deinde in hoc libro multa ad historiam Husitarum pertinentia scriptor attulit, velut de doctrina Iacobelli de Misa (II p. 58—105), de secta Taboritarum etc.

Non sine ira et studio haec scripsit. Studio enim ducitur praedicandi momentum Husitarum ad linguam vernaculam in ecclesiis adhibendam, ubi vero de ecclesia catholica loquitur, passim animi tranquillitas eum deficit (ut II, p. 391 „brojení“). Itaque mirum non est, quod vir in vestigiis virtutis Husitarum detegendis audacissimus argumentis adeo infirmis nonnumquam utitur, ut ea serio proponi mireris; velut cum missam bohemicè dictam esse a Ioanne de Siloa (Želivský) colligit inde, quod bohemicè cantabatur (sc. ea pars, quae latine cani solet; II, p. 328), vel cum ex eo, quod Corporis et Sanguinis mentio fit in precibus liturgicis in Bohemicum conversis, originem versionis husiticam concludit (II p. 389). In afferendis sententiis aliorum (Flajšhansii, Truhlářii) quae cum studio ipsius conveniunt, examen et iudicium desideratur; in aliorum autem sententiis interpretandis aestimandis-

que nonnumquam iudex iniquus est (de Vajs II, 411: „od jeho založení“; cf. Vajs, C. bible hlah. p. 28—29); de Konrado vero, viro de studiis cantus bohemicus optime merito, eo modo loquitur, qui ab operibus doctrina dignis alienus videatur esse.

Res illa, quae summi momenti est ad cognoscendam cantionum originem, philologum dico examen, ommissa omnino est: quid igitur scriptor effecit, si haec volumina in arena constructa sint? Neque enim neglegi potest, quod cantiones, quae in codice jistebnicensi bohémico occurrunt, partim sermonem exhibent aetate husitica antiquiorem, partim in posterioris aetatis codicibus formis antiquioribus indutae sunt.

Itaque non solum quaedam particularia, quae ignorantia aliorum monumentorum continentur (velut de cantico Sv. Václave p. 91, 374 t. I.), sed ipsum quoque operis caput rebus nondum exploratis etiam nunc adnumerandum est.

A. Špaldák.

Russica.

Stephanus, episcopus Mohileviensis. **Къ вопросу о системѣ православно-христианскаго нравоученія.** (K voprosu o sistemě pravoslavnago hristianskago pravoučenija). **Ad quaestionem de systemate doctrinae moralis christianae orthodoxae quaedam conferuntur**, Mohileviae, 1910, p. VI+328.

Quaedam primum de ipso scriptore. Episcopus Stephanus (antequam monachus factus est Nicolaus Arhangel'skij vocabatur) natus est in eparchia Pensae urbis die 22. iulii 1861. Studia absolvit in academia ecclesiastica kazanensi anno 1885: anno 1897 diplomate magistri theologiae in eadem decoratus est academia: vitam monasticam amplexus est anno 1899. Anno 1902 consecratur episcopus urbis Sukum, atque anno 1904 ad sedem Mohileviensem translatus est. In republica litteraria maxime opere innotuit duobus voluminibus comprehenso: Православно-христианское нравственное учение, по сочиненіямъ Иннокентія, архієпископа Херсонскаго, Mohileviae, 1907.

Opus quod recensendum suscipimus tribus absolvitur partibus. Prima (p. 1—242) *περίληψιν* historicam continet theologiae moralis in Russia, quae complementum exhibet operis Bronzovi, de historia theologiae moralis russicae. Eius sententia, theologia moralis russica suum habet initium ab illis collectionibus variis nominibus Zlatostruj, Izmaragd, Pčely exornatis, e quibus populus russus suum hauriebat cibum spirituales ad praecepta fidei christianae observanda et colenda. Ut doctrina tamen distincta in provincia sacrarum disciplinarum, exordium sumit a *Theophane Prokopovicio*, archiepiscopo Novogrodiensi, qui primus theologiam dogmaticam a theologia morali distinxit, eique tanquam obiectum

proprium statuit bona opera in Sacris Scripturis nomine amoris designata. Anno 1769 *Gabriel Petrov*, metropolita petropolitanus, cum regeret academiam ecclesiasticam mosquensem, typis edidit: Краткое христіанское нравоученіе (*Parvum compendium doctrinae moralis christianae*). Hunc secuti sunt metropolita *Plato Levšin* († 1812) suo opere: Богословія, или православное христіанское ученіе (*Theologia, seu doctrina moralis christiana*), anno 1765 edito; *Theophylactus Gorskij*, suo opere: Orthodoxa orientalis ecclesia de credendis et agendis (1784), quod methodum refert Procopovicij, ac multa continet ex scriptis Buddei excerpta. Anno 1817 *Levickij*, professor mosquensis academiae, *Conspectum theologiae moralis* typis edidit, haustum imprimis ex Buddeo. Hunc et Levickium secutus est *Innocentius Smirnov* († 1819) in opere Христіанское Нравоученіе, quod typis editum est post eius mortem, et biblicis testimoniis refertum est. Anno 1824 *протоіерейс Ioannes Kočetov* (1853) edidit lineamenta doctrinae fidei in agendo positae (Черты дѣятельнаго ученія вѣры); anno 1839 *протоіерейс Ваѣанов* tractatum de officiis christianis scripsit; anno 1849 *протоіерейс Debolskij* opus exaravit de necessitate et momento recte agendi et oboediendi Ecclesiae orthodoxae: annis 1852—1857 metropolita *Leontius* († 1893) acroamata theologiae moralis tradidit alumnis kioviensis academiae, quae annis 1892 insertae sunt commentariis *Bogoslovskij Věstnik*. Vestigiis Stapf ingressus est archimandrita *Plato Thivejskij* in theologia morali orthodoxa, edita anno 1854. Minoris momenti est specimen doctrinae moralis christiano-orthodoxae *протоіерейс N. Thavorovi*. Maximam famam contra suo auctori conciliavit manuale theologiae moralis orthodoxae, *протоіерейс P. Soljarskij*, tribus tomis comprehensum, qui editi sunt annis 1860—1863. Hocce opus diu visum est numeris omnibus absolutum in theologia orthodoxa. Idem id ipsum in compendium redegit, quod typis editum est anno 1867. Cum tamen complures exhiberet lacunas, nova et diligentiora compendia ediderunt *прот. Halkolivanov* (1872); archim. *Gabriel* (1885); *прот. Kamenskij* (1890); *Pokrovskij* (1891); *Olesnickij* (1892); *Nikit-skij* (1899).

Archiepiscopus *Innocentius* primus defectus ostendit quibus huiusmodi compendia laborabant, imprimis indolem severe scholasticam. Eius sententia theologiae moralis censetur esse indicare remedia, quibus tollatur dubitatio in credendo et incitentur homines ad christianismum amandum.

Quae sequuntur paginae analysin continent, et criticum iudicium librorum theologiae moralis typis editorum a Grenkovio, Thavorovio, episcopo Iustino, Tihomirovio, episcopo Theophane, Janyševio, Pjatnickio, Olesnickio, Arhangel'skio, Mirtovio, Popovio, archiepiscopo Sergio, Ponomarevio, Zarino. In eorum voluminibus omnia reperiuntur specimina methodi scientificae, qua theologi orthodoxi veritates morales religionis christianae pertractant. Huiusmodi methodi ad quattuor revocantur.

a) Methodus Theophanis Prokopovicii (Platonis, Leontii, Thavorovi), qui theologia morali doctrinam comprehendit de virtutibus et vitiis. Eadem scriptoris sententia non videtur respondere spiritui Ecclesiae orthodoxae, quae perfectionem moralem hominis in eius foedere cum Ecclesia et sanctificatione per eam reponit. Non potest igitur in theologia morali non haberi ratio illius sanctificationis copiae, quam nobis offert Ecclesia.

b) Altera methodus inducta est a Theophylacto Gorskio, ex Buddeo; eam secuti sunt Arsen'ev, Levickij, Bažanov, Thivejskij, Soljarskij, Halkolivanov, archimandr. Gabriel, Kamenskij, Pokrovskij, Vyšeslavcev, Olesnickij, Levitov, partim etiam Innocentius Penzensis et Kočetov. In hisce systematis bono tribuitur vis necessarii, officii, quod propositum est voluntati humanae, tanquam ipsius norma. Consequitur in huiusmodi systematis doctrinam moralem esse doctrinam de officiis humanis; de eis quae facienda sint vel vitanda. Moralitas est exterior exigentia hominis; ac systema morale ad distinctas actiones humanas, ad formas exteriores vitae refertur. Hic modus definiendae moralitatis e doctrina romana catholica de iustificatione, e iuridismo romano manat. Ubi doctrina moralis et moralitas actionum determinatur dogmatis satisfactionis, purgatorii et indulgentiarum, spiritus verus legis evangelicae posthabetur; despiciuntur intima persuasio hominis sua officia adimplendi, et peculiariora singulorum hominum studia: littera mortua Scripturae tantum honoratur: lex moralis in codicem innumerarum praescriptionum, prohibitionum convertitur, quae mechanice observantur, quaeque iugum durissimum homini imponunt. Quare methodus haec theologiae moralis a scriptoribus catholicis deprompta in falsam abstraxit semitam theologos orthodoxos.

c) Pjatnickij vestigiis ingressus Martenseni suum excogitavit systema, in quo regnum gratiae Iesu Christi exhibetur ut exemplar supremum perfectionis, ut idea obiectiva boni. Hoc systema Olesnickij partim secutus est. In eo tamen episcopus Stephanus defectum repperit compositionis organicae: de actibus moralibus, ac de humanis officiis sine nexu logico exponitur; theologia moralis inordinate procedit, lacunas exhibet, quo fit ut a disciplinis via ac ratione tractandis aliena evadat.

a) Quartum systema fundamento nititur doctrinae de salute generis humani. Episcopus Innocentius primus ostendit necessitatem homini iterum nascendi, et aetatem perfectam attingendi; primus ostendit salutem aeternam, ut processum moralis perfectionis, esse fundamentum doctrinae moralis christianae. Hoc idem Kočetov tenuit. Innocentius Borisov obiectum theologiae moralis aiebat esse emendationem cordis nostri culpae pravitate infecti; peccati ex eo extirpationem; renovationem omnium virium spiritus nostri, et nostrae vitae. Hanc sententiam fundamentalem systematis moralis in theologiam asceticam invexerunt episcopus Petrus atque imprimis episcopus Theophanes. Prot. Janyšev tuetur etiam do-

ctrinam christianam de moribus sibi proponere, ut determinet vitam moraliter rectam hominis, quantum in terris fieri potest; ut declaret quomodo perficiatur salus hominis in terrestri vita, quae fundamentum est aeternae beatitudinis et salutis in altera.

Hoc igitur postremum systema praecipua elementa exhibet ad cognoscendum perfecte quidquid verum est in re morali, ad ea omnia revocanda ad unitatem organicam. Verum est ex eo non fluere absolutam eorum in classes divisionem: huic tamen proximum statuitur principium, idque sufficit ut condicio necessaria ulterioris progressus theologiae moralis. Hoc systemate theologia moralis liberatur ab interventu scholasticae occidentalis, et viros laicos etiam movet ad ipsius studium. Taedium illud, quo afficiuntur qui veteres tractatus theologiae moralis legunt, non gignunt recentiora volumina Theophanis, Janyševi, Mirtovi etc. Itaque iam constitutum est principium disciplinae theologiae moralis russicae, theologia moralis ex periodo praeparationis iam transiit ad periodum determinationis et constitutionis.

In tertia parte operis scriptor lineamenta exponit theologiae moralis, quam nationalem, patriam vocat. Hoc scriptor iam exposuit in aliis libris: Къ вопросу о программѣ по нравственному богословію въ духовныхъ семинаріяхъ. (Ad quaestionem de programme theologiae moralis in seminariis ecclesiasticis), Mohileviae, 1907: Къ вопросу о системѣ православно-христіанскаго нравоученія (Ad quaestionem de systemate doctrinae moralis christianae orthodoxae), ibid., 1910. In opere tamen, quod aestimamus copiosius exponitur programma, eiusque capitum ratio discutitur. Theologia moralis introductione communiri debet, in qua quaestio instituatur de homine moraliter sumpto, quatenus studium boni habeat naturae insitum. Moralitas est manifestatio huiusce studii perfectionis, et cum christiana dicitur, significatur perfectionem illam ex principiis evangelicis statui. Regnum Dei est finis huius studii, suprema illa beatitudo viri christiani. Philosophia moralis est doctrina de condicionibus et legibus progressus moralis naturalis hominis. Theologia moralis est disciplina, qua leges exponuntur et condiciones perfectionis progredientis christianae; et adiungitur ei epitheton orthodoxae, ut innuatur huiusmodi leges intellegi secundum theologiam orthodoxam.

In introductione demonstrandum est theologiam moralem orthodoxam theologiae morali catholicorum et protestantium praestare; docendum quomodo ad Sacram scripturam, Patres, et theologiam dogmaticam referatur; determinanda ipsius proposita et obiectum, i. e. descriptio procedentis renovationis hominis, ipsius unio cum Deo, et communicatio cum omnibus creaturis moraliter bonis.

Deinde agendum est de fundamentis moralitatis in genere. Ac primum de morali desiderio naturae humanae, quae exhibetur ut vis naturae insita ad bonum desiderandum. Porro de sensu morali, ut forma psychologica, in qua desiderium naturae, necessitas moralis, sese ostendit: de lege morali, ut norma agendi a Deo

in cordibus insculpta; de conscientia officii (чувство долга), idest de conscientia necessitatis exsequendae legis moralis; de gratiae Dei auxilio quo moralis hominis natura iuvatur; de conscientia, ut intima cognitione legis moralis, necessitatis ipsam exsequendi, et reddendae rationis; de libertate morali, ut libera suipsius determinatione ad bonum vel ad malum; de virtute, ut determinatione cum lege morali convenienti, ac de vitio, ut determinatione ab eadem lege discrepanti; de gradibus progressus moralis, de statu peccati, de bona vel mala indole.

Hisce expositis statuendum est obiectum moralitatis in genere, atque imprimis determinanda sunt, quae poscit lex moralis. Primum ex his est amor sui ipsius, qui in virtutibus asceticis apparet. Sequitur amor aliorum hominum, qui gignit virtutes sociales; tertium est amor Dei, qui reparata hominis natura continetur, et in convenientia voluntatis nostrae cum voluntate divina consistit. Ex hoc amore virtutes religiosae manant, et communicatio mystica cum Deo. In malum deinde morale inquirendum est, quod maxime in egoismo humano contra Deum tuendo cernitur.

Hac parte generali theologiae moralis absoluta, tractari incipienda sunt fundamenta moralitatis christianae. Ac primum de regno peccati. Describenda est prima condicio hominis nati eiusque lapsus; hominis inopis ad sibi medendum condicio; superstes etiam tum hominis facultas bonum faciendi; lex mosaica ut divinitus revelata confirmatio legis moralis humanae; expectatio Messiae et divini potentioris auxilii ad malum extirpandum.

Deinde exponendum est de regno boni, id est de vita Redemptoris nostri, eiusque doctrina, passione, morte, resurrectione, de gratia per Spiritum Sanctum diffusa. Hisce pertractatis obiectum moralitatis christianae accuratius determinandum est, ac primum exponenda doctrina de moralitate personali, id est de conversione peccatoris ad Deum eiusque sanatione et reconciliatione cum Iesu Christo. Immutato animo peccator trahitur ad sequendum Iesum Christum. Quapropter eruendae condiciones, quibus positus anima ei adhaeret; sui ipsius contemptus, continentia, adoptio crucis in terris etc. Vita Christi in nobis repetitur, quod fit per virtutes. Primus gradus in eis, qui Christum sequuntur, nititur amore sui, ut viventis imaginis Dei; alter gradus amore aliorum hominum ut imaginum Dei; tertius amore Dei. Quanam virtutes ex triplici hoc amore manent, quaerendum est. Deinde certamen examinandum est, quod animae christianae est cum carne, mundo, diabolo, et modi indicandi, quibus victoria de eis a nobis acquiritur. Itaque exponendum est de hierarchia, de doctrina divina tradenda, de ritibus Ecclesiae, de sacramentis. Hisce modis unio cum Deo attingitur, et regnum Dei in anima humana plene constituitur.


Postremo explicanda est doctrina de moralitate sociali; id est de familia christiana, atque imprimis de matrimonio christiano et officiis erga prolem; deinde de amicitia christiana; tum de re

publica, et de amicitia internationali; post de ratione doctrinae atque artis habenda; denique de Ecclesia, ut societate civili, quae omnes complectitur christianos orthodoxos. In exponendo de Ecclesia, determinandum imprimis est quomodo fideles ad dioecesim, paroeciam, missiones, scholas parochiales referantur.

Hisce absolutis vera imago praebetur regni Dei in terris. Incitandi sunt christiani ut sese disponant ad postremum iudicium Dei, atque ad transitum ex Ecclesia militante ad Ecclesiam triumphantem.

En syntheticus conspectus theologiae moralis, quem episcopus Stephanus concinnavit. In eo facile est videre principia theologiae moralis quae ad rationem pertinent potius evolvi quam ea quae ad usum referuntur. Quod mirum non est iis quos non latet theologos rursos abhorrere a casuistica. Quaestiones etiam quae apud nos in philosophia morali exhibentur, pertractandas in theologia morali censet Stephanus.

Quidquid tamen dicendum est de peculiaribus huius systematis notis, maximi momenti est liber ad cognoscendum quae intercedant differentiae inter theologos catholicos et theologos rursos in methodo theologiae moralis tractandae. Simplici utitur scribendi genere scriptor; accurate doctrinam theologorum, quos commemorat, enucleat: nexu logico varias libri partes coniungit. Quapropter dignus est liber, qui etiam ab omnibus theologis occidentalibus cognoscatur, qui theologiae morali dant operam.



A. Palmieri. 53

Ieromonahъ Serafim, Монастырскій мужской общежительный уставъ.
(Monastyrskij mužskoj obščezitel'nyj ustav.) Nižn. Novgorod
1910, tomus I (1—2). 8^o XV+188. **De vitae coenobiticae
monachorum legibus.**

Liber in duas partes dividitur, quarum altera est de officiis monasticis, altera de praeceptis vitae monasticae. Scriptor sibi proposuit redire ad pristinam SS. Patrum observantiam maxime s. Basilii Magni, cuius regulam omnes religiosi russici (praeter Studitas) receperunt. Hoc opus P. Seraphim praefatione auxit, ubi refellit, quae ex parte adversariorum vitae monasticae obiciuntur, nostra iam aetate monasteria omnino inutilia, quin etiam perniciosa esse, cum postquam illud quod antiquitus spectabant, ut scientia et fides propagaretur, iam inutile evaserit ulcera in corpore nationis sint, religiosos autem nihil aliud quam panem gratis devorantes, nihil autem pro eo dantes, nominari posse. Quapropter adimenda esse monasteriis eorum bona et inter incolas distribuenda, monasteria autem abolenda. (Предисл. I.)

Contra haec scriptor argumentatur in praefatione adversarios ad castra eorum pertinere, qui ipsam religionem Christi e medio tollere conentur, sed idolo socialismi holocaustum offerant. „Aetas

nostra aversionis a religione et negligentiae, studii et belli contra Christum eiusque Ecclesiam et blasphemiae in nomen christianum, omnes, qui Christum sequuntur, secundum illud: eritis odio omnibus propter nomen meum (Luc. 10, 22) tractat.“

Revolvitur deinde scriptor annales populi et imperii russici, profanos scriptores Dostoevskij et Rozanov secutus, affertque verba prof. Ključevskij de magnitudine et fructibus laboris orthodoxorum in Siberia, Iaponia ad Christum convertenda et inter Sinas, quae omnia partim sunt exaggerata partim utilitati nationis et imperii russici adeo obnoxia, ut vix quisquam non contradicat comparatione instituta cum claustris catholicis, quorum labor ex munere Ecclesiae pro omnibus nationibus et gentibus constitutae susceptus nulla ratione utilitatis singulorum imperiorum vel nationum continetur.

Neque omnino negat scriptor, quod adversarii obiciunt, in monasteriis russicis morum et religionis ruinam deprehendi, quin ipse agnoscit praeter causas a rei natura alienas, quae corrumpendis moribus favent, causam principem huius lugubris rei in ipsis monasteriis latere, quae sit: oblivio salutarium praecceptorum et constitutionum SS. Patrum, quas nobis illi magni Ecclesiae operarii et magistri, naturae humanae peritissimi reliquerunt. Haec oblivio veterum Patrum manifestatur praecipue in eo, quod rerum materialium in vita monastica huius aetatis magis habetur ratio, quam spiritualium, quod apud veteres operarios omnino non erat. Propterea scriptor statuit: revertendum esse ad exemplar veterum SS. Patrum; interius cognoscendum esse eorum animum laboris, paupertatis, solitudinis, perpetuae meditationis de Deo atque unam illam curam, qua ut immortalis anima virtutibus splenderet studebant. Quare lineamenta legum vitae monasticae in S. Scriptura et Patribus fundata adumbrare sibi proponit et imprimis contra formam monasteriorum administrandorum instar reipublicae, quae in nonnullis monasteriis graecis etiam in Athomonte introducta est et cuius introducendi conamina ultimis temporibus in monasteriis russicis occurrunt, pugnat.

In prima parte (cap. 1—26) officia singula, quorum numerus est 24, describuntur. Non est opus hic omnia accurate referri, satis videtur esse enumerare omnia officia secundum ordinem: praefectus monasterii, eius vicarius, procurator, spiritualis, decanus, praefectus sacristiae, oeconomus, notarius, cellarius, caeremoniarius, choregus, ecclesiarchus, praefectus opificum, celliarchus, vestimentarius, cerarius, hospitem receptor, bibliothecarius, infirmarius, tabernarius, trapezarius (praefectus mensae), campanularius, sacristanus, ostiarius.

In parte secunda (cap. 1—33) scriptor uberius exponit regulas vitae monasticae, quas s. Basilius Magnus statuit, atque animum earum penetrare studet. Vita coenobitica, cuius auctor

primus est Pachomius Magnus, multos fructus, quibus caret vita anachoretica, fert. Imprimis occasionem dat aemulationi et progressui in vita spirituali; sed copiam quoque praebet consiliorum evangelicorum exsequendorum, quorum maximum est oboedientia, quippe quae nos a malis desideriis liberet, ad salutem nostram conferat, Iesu Christo, qui oboediens fuit usque ad mortem crucis, similem reddat, valvas caelestis paradisi inoboedientia clausas aperiat, cum Christo nos coniungat (c. 1). Nullus status nullaque vitae ante actae condicio impediunt christianum, quominus vitam monasticam amplectatur, quae generalis lex a concilio oecumenico VI statuta omnino cum iure canonum occidentalium convenit. Sed commemoranda est discrepantia triennii noviciatus, quod constitutum a conc. VI oecum. in Occidente a Tridentino in unum annum commutatum est. Secundum regulam s. Basilii apud Ruthenos observatam noviciatus annum et sex hebdomadas durat. Cf. Ex constit. s. P. N. Basilii M. Žovkva 1910, 43.

Maior discrepantia est in praeceptis a potestate civilis additis, ne quis tonderetur, nisi 30 annos natus esset. Militiae adscriptis leges Russiae ingressum in monasterium permittunt liberando ingressos ab officio militiae. Novicii caritatem fraternam foveant et modestiae studeant ideoque curiositatem, animum carpenti et deridendi sive fratres sive praefectos, consuetudinem iurandi aliaque improbanda, quae vitae communi nocent, tollere studeant (c. 3). Praecipue inculcatur oboedientia erga praefectos argumentis et ex S. S.riptura et ex ratione sumptis (c. 4). Usus fratris cum patre spirituali praeter fundamenta oboedientiae niti debet fiducia, qua ei persuasum est, viam, quam ille indicet, certe ad perfectionem ducere. Quapropter omnia revelare debet monachus coram suo patre spirituali sive bona sive mala (c. 5). Ex lege ecclesiastica russica non debent impediri, ne ingrediantur in monasteria, viri, quorum uxores fide laesa fugerunt, ratione habita gravis eorum moralis et spiritualis condicionis, attamen tales tonderi non possunt, nisi de morte uxoris constat. (Pag. 73). Monachi vagantes tonsi a praesule alius monasterii sub poena suspensionis vetantur recipi, nisi qui praefecto monasterii, e quo discedunt, concedente rigidiorum regulam quaerant. Hac lege etiam vagantes novicii tractandi sunt, imprimis cantores, quibus ob pulchram nonnullorum vocem nimis indulgetur (c. 2). Dimissio praeter voluntatem ex monasterio est poena peccatorum vel taedii laboris, quod cum scandalo aliorum coniungitur, si omnia remedia iam sunt exhausta (c. 6). Agnoscentes suum peccatum et paenitentiam agentes iterum recipi possunt in monasterium testificati litteris se habere propositum vitam suam corrigendi et totam vitam suam in monasterio sub oboedientia permanendi (c. 8). Monachi russici vetantur scholas vel alia instituta, quibus laici utantur, habere (pag. 114) ratione habita eorum, quae a Patribus constituta sunt (c. 11).

Leges, quibus vitae societas in monasteriis russicis continetur ac regitur, a s. Basilio manant et S. Scripturae innituntur (cc. 11—33),

quas omnes hic referri non est opus. Interest tamen cognosci duos ordines diurnos, quorum scriptor commendat eum, qui ratione habita loci vel commodi opportunior sit. Prior ordo incipit ab hora 12, qua omnes conveniunt in oratorium ad seminocturnum (полунощница), quo peracto matutinum incohatur, deinde in suam quisque cellam secedit, unde a monachis 100 metaniis (μετάνοια = profunda inclinatio) et 200 precibus ad Christum, ab aliis 50 metaniis et 100 precibus ad Christum peractis et ab omnibus sine differentia uno capite Evangelii et Apostoli et uno cathismate Psalterii perlectis ad sacrum commune hora 5 itur. Post ientaculum, quod ex pane et thea constat, ad suum quisque laborem discedit. Hora 11 prandium, deinde labor ad horam 2, qua conveniunt omnes in oratorium ad horam nonam et vespertinum; postea h 3½ cena habetur cum thea. Hora 4 conveniunt omnes ad breviarium, quo finito circiter h. 7 omnes silentio ad somnum capiendum in cellas eunt. Alter ordo a priore discrepat in eo, quod nocte hora 2 incipit et h. 9 vespere finitur. Scriptor plures rationes affert, cur media nocte surgendum sit; quia media nocte exitus Israel ex Aegypto factus est; alter adventus Christi media nocte erit secundum illud: Media autem nocte clamor factus est: ecce sponsus venit, exite obviam ei (Mt. 25, 61); media nocte manna de caelo in deserto descendebat; Christus natus est media nocte etc: (c. 18).

S. communio praescribitur schimonachis quavis dominica, hieromonachis (patribus) altera quaque dominica, noviciis semel in mense (c. 26). Commemoranda est etiam perpetua lectio Psalterii, quod diem ac noctem in monasteriis legitur exceptis dominicis et diebus festis, praeterea tribus diebus ante Pascha et tribus diebus post festum Nativitatis (c. 28).

Secundum regulam s. Basilii etiam pueri omnis aetatis possunt in monasterium recipi, sed separatio debet servari inter pueros et monachos et specialis ordo diurnus cum schola iis praescribitur. Scriptor praeterea pueros dividit in minores et maiores et praescribit utrique parti ordinem diurnum. Iuvenes qui 18. annum iam peregerunt ordinem monachorum servant (c. 30).

Optandum est, ut opus P. Seraphim multos amicos inter monachos russicos nanciscatur, qui vetere Adamo exuto, novum hominem induant secundum mentem veterum Patrum et spiritum s. Basilii Magni.

A. Išćak.

Православный Собесѣдникъ (Pravoslavnyj Sobesědnik). 1909.

A. N. Religija, duhovenstvo i obščestvo v ih otnošenii školě. (Religio, clerus, societas quid valeant in schola) t. I. p. 3—28; 129—151; 267—289. De scopo religiosae scholae disserit. Haec schola debet esse orthodoxa, quia a mille iam annis religio orthodoxa populum russicum enutrivit. Quaerit, num schola ab Ecclesia separari debeat, sicut aiunt occidentales. Ostendit clerum russicum patriae servire, quia ad

bonos mores iuvenes allicit. Respondet iis, qui calumniantur clerum tantummodo cultum externi ritus iuvenibus tradere. Catechismum docere tuetur maximum pastorum officium haberi. Russiae viri eruditi inquit ethnicorum oculis Ecclesiam inspiciunt. De necessitate magistrorum religionis in atheneis, gymnasiis, primoribus scholis exponit.

Alexius (episcopus). *Religioznyja dviženija na jugě Rossii vo vtoroj polovině XIX. stolětija.* (Motus religiosi in Russia meridionali altero dimidio saeculi XIX), t. I p. 29—70; 152—184; 290—331; 407—422; 526—558; 659—702; t. II, 125—159; 265—309; 395—440; 531—546. Prolixa hac dissertatione quodammodo historiam texit A. sectarum russicarum in Russia meridionali. Maximi momenti disquisitiones scriptoris ad pervestigandum influxum sectarum protestantium in sectarios russos. Doctrinas theologicas earum fuse exponit, novis saepius documentis instructus. Agit primum de secta Baptistarum, quae inprimis inter colonias germanicas Russiae meridionalis diffusa est. Quomodo doctrina baptistarum inter orthodoxos Novae Russiae propagata sit, enarrat. Deinde sententias Stundistarum exponit; originem huius sectae describit; in quo differat a secta Baptistarum ostendit, et in quo conveniat. Conatus exponit germanorum missionariorum divulgandi decreta baptistarum. De conditionibus huius sectae in guberniis Kioviensi, Ekaterinoslaviensi atque in regionibus Caucasi disserit. Fundationem Foederis baptistici russici eiusque constitutionem describit. Deinceps de sectis Adventistarum, Malevanščiny, Paškovščiny, Tolstojanorum disserit. Remedia cleri russici ad baptistas debellandos diiudicat. Statuta examinat sectae Nazaraeorum qui Bessarabiam incolunt. Quomodo sese habeant baptistae ad Ecclesiam orthodoxam et populum russicum declarat.

I. Pokrovskij. XIV. *Vserossijskij arheologičeskij s'ezd v g. Černigově* (De decimo quarto conventu archaeologico totius Russiae in civitate Černigoviensi. I, p. 71—91; 185—214; 373—380; 446—470; 745—772. Habitus est hic conventus mense augusto (1—12) 1908. Occasione ipsius *P.* breviter narrat historiam politicam et sacram Černigoviae, quae tonitet sacris monumentis. Deinde de clarioribus ecclesiis et monasteriis ipsius urbis disserit, eorum imaginibus adiectis. Inquirit in momentum eorum architecturae in historia veteris artis russicae. Describit domum hetmani Mazeppae Černigoviae. Chronica conventus eiusque proposita et vota exponit.

I. Berdnikov. *Otvět na kritičeskiju zamětku prof. Zaozerskago.* (Responsio ad criticam animadversionem professoris Zaozerskii), I, p. 92—106. Anno 1908 Berdnikov in lucem ediderat dissertationem de vi XIII canonis concilii Laodicensi. Nunc ad criticas animadversiones Zaozerskii commentariis Bogoslovskij Věstnik insertas respondet Berdnikov, defendens se optimam methodum inquirendi usurpasse.

I. Bogorodskij. Strannaja apologija (Mira apologia), t. I, p. 215—234. Commentariis qui Strannik inscribuntur B. Il'inskij anno 1908 (mense aprili) inseruerat commentationem „De huius temporis litteris russicis“ in qua laudibus prosecutus est fabulas milesias et dramata pessimi scriptoris Leonidae Andreevi. Quem potissimum ire obviam fidei christianae dixerat. Quam falsa sit haec sententia excerptis ex scriptis Andreevi ostenditur.

P. Ponomarev. Preosv. episkop Sil'vestr, kak učenij bogoslov (De Revmo episcopo Silvestri ut docto theologo), t. I, p. 332—349. Die 12 novembris 1908 vita defunctus est Silvester Vasil'evič Malevanskij qui quondam rector academiae ecclesiasticae kioviensis fuerat, vir in theologia apprime eruditus. Eius opera theologica recenset scriptor, atque in primis tentamen eius theologiae dogmaticae orthodoxae, quod optimum habetur inter compendia theologiae dogmaticae russica.

M. Kolokol'nikov. Otec Ioann Kronštadskij (De Patre Ioanne Kronstadtensi), t. I, p. 350—372. Breviter enarrat vitam huius celeberrimi apud Russos viri (1829—1908), et quaedam ad ipsius vitam apostolicam pertinentia commemorat.

P. Potockij. Zaboty russkih pastyrej Cerkvi o razvitii prosvěščenija i propovėdničestva sredi bělago duhovestva v epohu imperatricy Ekateriny II-j (Quomodo pastores russicae Ecclesiae progressui cultus et eloquentiae sacrae apud clerum album aetate imperatricis Catharinae II providere conati sint), t. I, p. 423—445; t. II, 204—228. *P.* primum agit de condicionibus moralibus et materialibus cleri russici illius aetatis; deinde de remediis adhibitis a Ssma Synodo, et a quibusdam episcopis, imprimis a Samuele Myslavskio et a Tichone Zadonensi ad eas sublevandas.

Georgius (hieromonachus), Nigilističeskij princip buddijskoj filosofii (Principium nihilismi in philosophia buddhistica), t. I, p. 508—513. Ad quattuor revocat capita essentiam buddhismi, ipsius fautores secutus: doctrinam de dolore entis; doctrinam de origine doloris; ablationem doloris; viam ad eum tollendum. Est oratio habita pro tuenda thesi: De buddhismo et christianismo eorumque doctrina de salute aeterna.

A. N. O Nikeo-konst. Simvolě věry (De symbolo fidei nicaeno-constantinopolitano), t. I, p. 519—525. Nullius momenti est haec dissertatio. Quaedam breviter tangit ad quaestionem illius Filioque pertinentia.

M. Rěšetnikov. Nuždy pravoslavnoj missii sredi magometan Vjatskoj gubernii (Necessaria quaedam ad missionem orthodoxam inter Mahometanos gubernii Vjatkae), t. I, p. 559—570. In hoc gubernio 135.000 Mahumetani numerantur. De eorum conversionibus et modis ad eos convertendos disserit.

P. Lapin. Sobornyj princip v vostočnyh patriarhatah (Principium conciliare in patriarchatibus Orientis), t. I, p.

571—599. Constitutionem et condiciones Ecclesiae orthodoxae valachicae huius temporis *L.* describit. Dolet clerum carere cultu et scientia, et moderatores rei publicae rationi occidentali obnoxios, hostili modo se gerere in Ecclesiam orthodoxam.

B. Protopopov. Karaimy (Karaimi), t. I, p. 640—658. Karaimi, secta iudaica, numerantur apud Russos 30.000, qui maxime in Crimaea habitant, atque in Russia occidentali. Scriptores russos atque externos *P.* commemorat qui de eis disseruere. Eorum historiam et mores describit.

A. N. Novyja suždenija o cerkovnyh reformah (Nova de emendandis rebus ecclesiae) t. I, p. 706—721. De reformanda paroecia, et de clero parochiali a populo eligendo secundum ephemerides orthodoxas et liberales disseritur.

Georgius (hieromonachus). *Sovremennaja tečenija v lamaizmě* (Quid hoc tempore in lamaismo agitetur), t. I, p. 773—789. Sub titulo diverso editur pars orationis, quam paulo ante commemoravimus.

V. Pavlovskij. *Očerk russkago vlijanija na inorodcev Vogul* (Quid Russi apud Vogulos valuerint adumbratur), t. I, p. 790—796. De ethnographia huius populi disserit qui habitant ad fines guberniorum Permensis ac Toboliensis. Quae nam beneficia inde manaverint, quod Russi facti sunt, ostendit. Conatus societatis missionariorum russorum ad eos convertendos suscepti describuntur. Quomodo lamaismus superstes manserit inter Vogulos christianos declarat.

N. Katanov. *Novyja dannija o musul'manskoj sektě Vaisovcev* (Nova de secta mahumetana a Vajs condita documenta), 1909, t. II, p. 229—244. Anno 1862 inter Tartaros musulmanos provinciae Kazanensis suos errores propagare coepit scriptor quidam nomine Vajs. De ipsius libris ad mysticam theologiam islamicam spectantibus disserit scriptor.

S. Bagin. *O propagandě Islama putem pečati* (De propagatione fidei islamiticae ope ephemeridum), t. II, p. 245 ad 264; 385—393. Agit de novis periodicis islamicis editis in provincia kazanensi postquam edictum de libertate litteraria et religiosa editum est. Opuscula quae a Tartaris eduntur pro sua fide propaganda commemorat. Quae ratio intercedat inter eos et Christianos innuit. Refert Tatarorum de missionariis russis iudicia ac necessitatem tueretur novae ephemeridis orthodoxae quae studiis propagandi islamicam doctrinam obstet.

I. Pokrovskij. *Russkija eparhii v XVIII věkě: otkrytie ih, sostav i preděly* (Russicae eparchiae saeculo XVIII: earum institutio, forma, fines), t. II, p. 310—23; 441—466; 467 ad 495. De institutione sanctissimae Synodi *P.* agit ac ditissima bibliographia suam commentationem instruit. De inquisitione ecclesiastica contra episcopos instituta deinde verba facit, eiusque mala pan-

dit. Multa etiam affert de eparchiis Voronežensi atque Astrahanensi. Complura nigro lapillo digna in ratione agendi synodi deprehendit.

P. Terent'ev. Simvoličeskija knigi l'juteranstva (Libri symbolici lutherani), t. II, p. 324—348; 467—495. Necessitatem studii theologiae symbolicae ostendit. Ex libris symbolicis protestantium non potest quidem rite hauriri tota doctrina religiosa protestantium; sed spiritus protestantismi ex eis eruitur. Deinde agit de historia litteraria et doctrina Confessionis Augustanae; eiusque apologia; de articulis Smalcaldicis; de Catechismis maiore et minore; de Formula Concordiae.

P. Lapin. Sud'by sobornago principa v zapadnom patriarhatě (Fata principii conciliaris in patriarchatu occidentali), t. II, p. 349—384; 613—634. Historiam romani pontificatus in duas aetates distinguit; prioris initium incipit ab origine Ecclesiae romanae, finis eius est saeculum IX; altera extenditur ad reliquam aetatem. In priore aetate Ecclesia romana corrumpere principium conciliare non potuit: conatur enim scriptor ostendere romanos pontifices auctoritate omnino pares fuisse ceteris episcopis. Altera periodo, qua falsae decretales invectae sunt, romani pontifices maiorem ceteris episcopis sibi vindicarunt auctoritatem. Varias mutationes in constitutione administrativa Ecclesiae romanae inductas *L.* commemorat atque explicat.

I. Alfonsov. Mysli o značenii russko-japonskoj vojny (Considerationes de vi belli russo-japonici), t. II, p. 496 ad 515. De religione Japonensium et ethica disseritur. Eos quodam modo modos regiminis imperii romani in Asia redintegrare *A.* affirmat. Victoria Japonensium non est tamen triumphus paganismi. Potest fieri, ut christianismus magis propagetur in Japonia.

O pereměščenii groba Svjat. Dimitrija, mitropolita Rostovskago (De translatione sepulchri S. Demetrii, metropolitae rostoviensis), t. II, p. 519—526. Haec translatio facta est anno 1752. In lucem editur relatio conscripta eodem anno ab Arsenio, metropolita rostoviensi.

K. Harlampovič. Arħim. Konstantin Borkovskij, i ego literaturnaja dějatel'nost' (De archimandrita Constantino Borkovskio, eiusque litteris), t. II, p. 595—612. De eloquentia sacra huius scriptoris ex Parva Russia oriundi, qui anno 1773 mortuus est, exponitur.

Th. Vasil'ev. Drevnjaja ikona Sv. Aleksija iscěljajuščago ženu ħana Čanebeka Tajgulu (De vetere imagine S. Alexii, aegrotam uxorem principis tartari Čanibeki Taidulae sanantis), t. II, p. 635—638. Descriptio huius miraculi, quod anno 1357 evenit.

Alexius (episcopus). Ĥristianstvo i kommunizm (Christianismus num faveat communismo), t. II, p. 653—690. De variis relationibus socialismi ad fidem christianam *A.* disserit, usus praesertim opere Thonissen: Le socialisme depuis l'anti-

quité. Ostendit in Sacris Scripturis argumenta reperiri quae socialismum potius evertant quam fulciant. Sententias eorum refellit, qui ex Sacris Scripturis et Patribus Ecclesiae testimonia hauriunt ad socialismum tuendum.

N. Ivanovskij. Obščestvo staroobrjadcev avstrijskim svjaščennikom okormljaemoe, est-li istinnaja Hristova Cerkov' (Societas veteroritualistarum, hierarchiae austriacae obnoxia, estne vera Christi Ecclesia?) II. p. 691—703. Oratio quae nihil continet ad historiam pertinens. Constitutionem verae Ecclesiae nititur non reperiri apud raskolnicos hierarchiae quae vocatur austriaca subditos.

B. Narbekov. Drevnjaja ikona Sv. Aleksija (De vetere imagine S. Alexii) II, p. 704—718. Descriptio imaginis, quam supra commemoravimus: eius historiam texit scriptor.

Tanquam supplementum commentariis his episcopus *Alexius* documenta adiecit illustrantia vitam et doctrinam sectarum russicarum, saeculo XIX, et *P. Jungerov* opus Isaiae prophetae in Russicum conversum adnotationibus adiectis.

A. Palmieri.

БОГОСЛОВСКИЙ ВѢСТНИКЪ. (Bogoslovskij Věstnik) 1910.

E. Voroncov, Iz soteriologii poslanija k Evrejam II, 11, 14, 16 (Ex soteriologia epistulae ad Hebraeos), I 1—19. V. 11. ἀγιάζειν Voroncov ex S. Litterarum locis similibus et ex usu optimorum scriptorum probat significare idem ac sanctificare, hominem mediis supernaturalibus ad finem supernaturalem ducere. V. 11 ἐξ ἐνός Voroncov significare existimat: ex unius seminis vel unius sanguinis; αἵματος enim vel σπέρματος vocem, non θεοῦ suppleri posse (cf. contra A. Schäfer, Der Hebräerbrief, Münster, 1893, p. 81—83).

N. Kapterev: Otnošenii meždu vlastju gosudarstvennoj i cerkovnoj v drevnej Rusi do patriaršestva Nikona, I, 20—53; 177—215. (De ratione quae inter potestatem civilem et ecclesiasticam in antiqua Russia intercesserit usque ad Niconis patriarchatum): In antiqua Russia, aetate democratica (saec. 11, 12, 13) metropolita, cum a patriarcha Constantinopolitano atque imperatore C. constitueretur atque iudicaretur, a politica potestate Russorum liber fuit (p. 22). Ipse, iuri canonico innixus, ecclesiam russicam regebat, episcopos constituebat ipsosque iudicabat, atque in sua persona constitutus esset magnus ducatus moscoviticus, metropolita universa libertate sua privatus est. Etenim cum a solo magno duce ex eius subditis eligeretur, in omnibus rebus e ducis voluntate pendebat, et cum ob aliquam causam duci minus opportunus esse visus erat cathedra demovebatur. Ne plura tota vita ecclesiastica a duce per episcopos regebatur (p. 23 sq.). Cum tempore procedente a Russis Moscovia tertia Roma haberetur, patriarchatus ab

imperatore inconsultis episcopis constitutus est. Verum patriarchatu constituto forma mutata res eadem prorsus mansit. Etenim ut e documentis constat, omnes patriarchae ab imperatore solo fiebant; episcopi etsi ad creationem invitati, rem imperatoris iudicio relinquebant (p. 31 sq.). Episcopi vero cum etiam civili magistratu fungerentur, etiam a solo imperatore creabantur (p. 34 sqq.) Insuper imperatores non solum episcopos dicebant, verum etiam ipsorum vitam privatam omnesque actiones et consilia per laicos magistratus episcopales, qui de omnibus auditorium principis certius reddebant (p. 42), speculabantur (p. 40 sq.) Si vero synodos, quae saec. 16 et 17. habitae sunt, respicimus, nulla earum sine imperatoris voluntate atque decreto haberi potuit (p. 44), cum imperatorem antiquae Russiae homines existimarent, cuiusvis legis et civilis et ecclesiasticae unum fontem atque Dei in terris etiam in rebus ecclesiasticis vicarium (p. 45). Idem ipsae synodi profitebantur, imperatoris potestati „omnes res ecclesiasticas atque ipsas ecclesiasticas synodos subiacere“ (p. 46). Qua ratione ducti, imperatores omnes actiones ecclesiasticas regebant. Episcopi tamquam rerum ecclesiasticarum periti in synodum illi quidem vocabantur sed solum ius consilii habebant (p. 197 sq., 200, 201). Quare mirum non est, quod episcopi vi destituti in omnibus rebus obnoxii, imperatori etiam in rebus, quae ipsorum conscientiam offendebant oboedientes atque solum, quae imperator praecipiebat, facientes omni auctoritate carebant (p. 212 et 214).

N. Kuznecov, Zakon o staroobrjadčeskih obščinah v svjazy s otnošeniem Cerkvi i Gosudarstva (Lex de veteroritualistarum societate necessitudine inter ecclesiam et societatem civilem illustrata) I, 78—112; 216—248; 381—403; 529—554; II 24—58; 197—236; 369—383. Cum mense maio a. 1909 in consilio (duma) imperii russici lex de confessionibus religiosis lata esset, nova quaedam principia in diiudicanda societatis civilis ad ecclesiam ratione statuta sunt, quae si in usum redigantur, civilem societatem neglegentem sacrorum efficient. Quod periculum ecclesiae orthodoxae imminens Kuznecov dum ostendit, simul etiam de ratione inter civilem atque ecclesiasticam societatem disserit. Cum societatis civilis munus praecipuum sit ut ad culturam subditos ducat, ipsi imprimis subditorum honestati providendum est, quod sine christianismo, id est sine ecclesia obtinere nequaquam potest. Quare opem atque consilium ab ecclesia expetat necesse est, quod ut fieri possit, suas ad ecclesiam rationes rite instituere atque quid ecclesiae natura atque institutum postulet, respicere debet. Quodsi plures sint confessiones in regno unam ceteris praeferat oportet, eique principatus rationem tribuat, aliis autem politicam, non dogmaticam indulgentiam concedat. Quodsi haec ad Russiam accommodantur potestas civilis ecclesiam orthodoxam anteponebat debet, quia ecclesia orthodoxa societati russicae quam plurima bona attulit russica vero natio sine ecclesia orthodoxa ne cogitari quidem

potest. At licet Kuznecov factionis liberalium notionem principis ecclesiae oppugnet, qui maioris partis subditorum alicuius regionis ecclesiae, etsi vera non sit, principatum tribuunt, tamen normam, qua vera ecclesia a falsa discerneretur, minime indicavit.

S. Znamenskij, Donatistskoe dviženie i ego ĥarakteristika po novootkrytym epigrafičeskim dokumentam. (De Donatianis eorumque indole eruenda ex inventis nuper documentis) I, 113—143; 305—333. Scriptor refert, quae P. Monseaux sub titulo: „L'épigraphie donatiste“ edidit in Revue de Philologie (Avril-Juillet, 1909).

N. Kudrjavcev, Evstathij Antioĥijskij (De Eustathio Antiocheno) I. 453—465; II, 59—77; 426—439; III 66—78. Enarrata Eustathij, quoad per documenta licet, vita divisisque eius operibus in tres classes: certa, dubia, spuria, scriptor inquit, ad quam scholam pertinuerit Eustathius. Scriptor ex Eustathii operibus, eum ad scholam Antiochenam referendum esse probat. Etenim non solum ex Asia ortus est neque ullum allegoriae indicium in suis operibus reliquit, verum etiam semper S. Scripturae verba presse sequitur eaque methodo grammatico-historica illustrat. Christologiam Eustathij Ant. analysi subiciens ostendit scriptor eam ab aliorum patrum explicatione minime esse diversam. Solum vox templi ad designandam naturae humanae Christi cum eius divinitate coniunctionem adhibita indicium est Eustathium scholae Antiochenae adnumerandum esse. Tamen contextu orationis, in qua Eustathius de coniunctione naturae humanae cum divina in Christo loquitur, sat clare indicatur, ipsum quidem, si voces, minus tamen si res ipsae considerantur, ad scholam Antiochenam in christologia referri posse. In soteriologia autem, ubi summopere momentum morale urget, exemplum dico a Christo datum, quod christiani imitari debeant, certe scholam Antiochenam secutus est.

N. Kapterev, Patriarĥ Nikon — velikij gosudar. I, 495—554; II, 1—23. In hac commentatione Kapterev narrat, quomodo Nikon titulum imperatoris Russorum proprium „velikij gosudar“ (magnus dominus) sibi usurpaverit atque quomodo omnia, etiam imperatoris potestatem, sibi subicere conatus sit.

D. Vvedenskij, Biblejskoe pověstvovanie o potopě v ego otnošenii k dannym geologii i predanijam narodov (Biblica de diluvio narratio cum rebus geologiae et gentium traditionibus comparatur) I, 642 ad 656; II, 99—111. Vvedenskij diluvium et geographice et ethnologice universale fuisse opinatur. Ubique enim terrarum, si geologiam consulimus, reliquiae cum animalium tum stirpium in profundis terrae stratis apparent. Idem traditiones nationum in terrarum orbe dissitarum testantur. Quapropter diluvium etiam ethnologice universale fuisse concedendum est.

M. Bogoslovskij, Cerkovnyj priĥod na russkom sěverě v XVII věkě (De ecclesiastica parochia in Russia

XVII saec.) II, 158—181; 315—337. Saeculo XVII ecclesiae patrocinium penes populum fuit. Ipse enim et aedem sacram et clerum ei addictum sustentabat, clerumque ipse creabat. In quavis parochia generatim unus sacerdos curatus inveniebatur; diaconus vero unus in pluribus parochiis constituebatur (p. 166). In clero constituendo fere hereditaria successio observabatur (p. 169). Qui alicuius parochiae curatus esse volebat, in comitiis illius pagi comparebat, atque si populo probabatur, creabatur atque cum actis in comitiis conscriptis ad episcopum mittebatur, qui candidatum sanciebat atque ordinabat (p. 170). De rebus ad victum necessariis praestandis atque de ministerii sacri functione clerus cum populo iustum inibat pactum (p. 174). Sacerdos ab episcopo approbatus patris spiritualis munere fungebatur; a Nikonis vero tempore etiam delatoris munus suscepit. Inde ab a. 1682 potestatis in unum conferendae ratio etiam in hac re obtinere coepit. Etenim vel ipsi laici, qui alicuius ecclesiae patronorum munere fungebantur, ab episcopo suae fortunae decus impetrare debebant.

N. Kapterev, Svjaščenstvo vyše carstva (Sacerdotium praestare regno civili) II, 264—294. Nikon, cum vi in imperatorem privatus esset, cumque ei, ne „velikij gosudar“ (magnus dominus) nominaretur, interdictum esset, patriarchali cathedra se abdicavit atque sacerdotium esse potestatem civili superiorem demonstrare conabatur. Sacerdotium enim aiebat esse potestatem a solo Deo traditam, ut ecclesia libere regi posset; quin sacerdotes, vel patriarcham, ius atque officium habere, potestatem civilem custodiendi atque ipsum regem iudicandi. Hisce principiis innixus Nikon in omnes, etiam in imperatorem atque episcopos, quod ordinem perverterent, vehementer invehebatur.

I. Adamov, Učenie o Troici sv. Amvrosija Med. (De s. Ambrosii Med. de ss. Trinitate opinione), II 338 ad 356; 469—481; III 266—281; 467—482. In doctrina de Verbo s. Ambrosium multum Philoni debere censet scriptor. Etenim et apud Ambrosium et apud Philonem Logos sustentat vitam mundi, est vinculum continens mundum, est divisor animarum atque virtutum (Philonis: *λόγος τρυφός*). Ambrosium artis vocabula: naturae, substantiae, proprietatis, quae in dogmate SS. Trinitatis occurrunt a Tertulliano deprompsisse existimat. Eidem analogias, quae ad doctrinam de ss. Trinitate illustrandam adhibentur, Ambrosius debet. A Cappadociis Ambrosius singularum personarum divinarum distinctionem didicit, nullam vero naturae et substantiae. In eo autem maxime a Cappadociis differt, quod naturae divinae et attributorum absolutorum in divinis personis discrimen negat, non solum effert aequalitatem, et sic alium loquendi modum ac Subordinatiani servat.

N. Kapterev, Prenie na soborě 1667 goda meždu ruskimi i grečeskimi ierarĥami o vlasti carskoj i patriaršej i rěšenje etogo voprosa (De potestate

regia et patriarchali in synodo 1667 a. inter russicos et graecos episcopos in controversiam vocata et quomodo sit haec diiudicata) III, 1—17. Ante synodum a. 1667 russici episcopi promiscue patriarchalem potestatem regia superiorem esse censentes patriarchae ius sese rebus potestatis civilis interponendi adiudicabant. Orientales patriarchae Paisius alexandrinus et Macarius antiochenus, qui synodo intererant initio regis potestatem nimis extollebant, ad extremum autem urgentibus episcopis russicis decreverunt: utrumque et patriarcham et imperatorem in suis rebus liberum esse neutrique ius esse sese rebus alterius immiscendi.

Th. Rossejkin, Pervoe pravlenie Photija, patriarḡa K. (De prima Photii, patriarchae Constantinopolitani gubernatione) III, 156—184. *R.* omnia quae contra Photii patriarchae creationem afferebantur nulla esse existimat praeter illud, quod Photius e laico patriarcha creatus est. Hoc autem etsi a synodo Sardicensi vetitum ecclesia Constantinopolitana, ob urgentes rationes, pacem in ecclesia Constantinopolitana servandam, neglegere poterat, praesertim cum historia ecclesiastica eiusmodi exceptionis multa exempla praeberet. Quod sedes Constantinopolitana vacua non fuerit, frustra afferri ait scriptor, cum Photii creationi etiam Ignatiani interfuerint eamque igitur vacuam iudicaverint (p. 171). Nicolai I. ingenium conatusque nigris coloribus describens *R.* s. Nicolaum ad immiscendum se rebus ecclesiae Constantinopolitanae hereditaria *R.* Pontificum ambitione ductum esse ait.

N. Tunickij, Obzor istočnikov dlja istorii žizni i dējatel'nosti sv. Klimenta Slovenskago. II, 132—157, III, 79—102. Documenta quibus vita s. Clementis, discipuli ss. Cyrilli et Methodii, narratur *T.* analysi subicit. Nondum omnis commentatio edita est. Fusior s. Clementis vita in magna lectionum varietate ad nos pervenit tamen, omnia ad eundem fontem revocantur. *T.* duorum documentorum, quae nondum satis a viris doctis perlustrata sunt, mentionem facit. Quae documenta Miklošič licet sciverit adesse, ea in manibus non habuit. Et alterum quidem Victor Grigorovič Ochridae a. 1845 invenit, quod est in musaeo, quod Rumjancevo appellatur; alterum est in uno e codicibus manuscriptis ecclesiae Ochridensis. Tunickij prius tantum manibus habuit atque analysi subiecit.

M. Tarěev, † Protopresviter I. L. Janyšev kak moralist (De I. Janyšev, ut moralista) III, 100—134.

N. Th. Kapterev, Učastie grekov v dělě patriarḡa Niona. (De Graecorum in re Niconis partibus) III, 282 ad 311; 395—430. A. 1660 Alexius imperator synodum convocavit, quae aliquot menses durabat ($16\frac{1}{2}$ — $14\frac{1}{8}$). In qua praeter 29 archimandritas, 13 hegumenos, 5 protopresbyteros, senem Epiphanium Slavineckij 13 episcopi aderant russici et 3 graeci. Russici episcopi omnes de novi patriarchae creandi necessitate consenserunt,

quin maior pars etiam ut Nikon statu sacerdotali moveretur postulabant. Graeci episcopi, spe accipiendae magnae eleemosynae adducti, idem e canonibus recentioris iuris graeci decernentes, rem totam ab imperatore necessario disceptandam esse proclamarunt. Contra talem sententiam reclamavit Nikon atque synodum legitimam esse negabat. Subsidium ei tulerunt Epiphanius Slavineckij atque archimandrita Ignatius levlevič. Slavineckij, etsi novi patriarchae creationi non resistebat, tamen sententiam de patriarcha ex ordine sacerdotali detrudendo impugnabat atque canones a Graecis prolatos spurios esse demonstrabat (p. 291 ss.). Ignatius archimandrita iudicium legitimum in Nikonis causa nisi a Constantinopolitano patriarcha institui non posse contendebat (p. 293). At Paisii Ligaridae graeci metropolitae adventu res nonnihil mutata est, qui pro pecunia omnia etiam conscientiam vendere paratus erat. Hic homo nequam argumenta a Slavineckij et arch. Ignatio prolata labefactavit, Nikonem solum iudicavit, imperatorem ab omni culpa absolvit. Tamen rei publicae curia hoc eventu minime contenta fuit; ideo omnes orthodoxos patriarchas in synodum convocare statuit. Verum omnes patriarchae non solum venire recusarunt, sed ne exarchas quidem ut suos legatos Moscoviam mittere voluerunt. Tempore procedente tamen aliquid obtineri videbatur, cum Paisius litteris quibusdam a Constantinopolitano patriarcha conscriptis, ipse legatus patriarchae diceretur (p. 395 sq.) Sed brevi cognitum est documenta haec supposita esse. Quod Paisius Ligarides frustra variis modis perficere conabatur, hoc Paisius patriarcha Alexandrinus, atque Macarius Antiochenus, Moscoviam venientes, pro pecunia peregerunt (p. 430).

S. I. *Sobolevskij*, Otnošenie klassičeskoj filologii k bogosloviju. (Quomodo philologia latina et graeca ad theologiam pertineat) III, 365—394.

A. S. *Bogdanov*, Žizn' arħimandrita Nikodima Kazanceva (Vita Nicodemi Kazancevi, archimandritae) III, 515—552; 623—657.

S. S. *Glagolev*, O grafě L'vě Nikolaevičě Tolstom (De Comite Leone Tolstoj) III, 558—599. Glagolevii sententia Tolstoj repugnandi studio tenebatur; qui omnia etiam religionis omne genus, et rem publicam etiam perfectissimam, in dubium vocabat vel etiam negando respuebat. Id autem faciebat, quia dubius de veritate haerens, eam nondum possidebat. Quamquam autem dubitabat, veritatem semper quaerebat; — et haec veritatis investigatio viro a multis contempto summo decori et laudi est. In qua investigatione Tolstoj eo quominus verum cognosceret impediabatur, quod nimis suis viribus fidebat, variis impressionibus nimis subiacebat, censurae impatiens erat.

N. *Kapterev*, Priězd v Moskvu vostočnyh patriarchov i sobornoe osuždenie Nikona. (De orientalium patriarcharum in urbem Moscoviam adventu et de

synodali condemnatione Niconis), III 599—622. — Conatus imperii russiaci id agentis, ut patriarchae orientales de Nicone iudicarent, ex parte saltem felicem exitum habuerunt. Licet enim patriarchae Constantinopolitanus et Hierosolymitanus plane rem recusaverint, tamen patriarchae Paisius Alexandrinus et Macarius Antiochenus, archiepiscopus sinaiticus Ananias, metropolita Philotheus, ab imperatore per Meletium, diaconum graecum, invitati, emolumenta huius vitae sperantes, 21/6 1666 in Russiam venerunt. Imperator, etsi laetus erat de victoria, tamen caute procedebat. Ad eos salutandos usque ad Astrachan suos legatos misit, qui eos summa veneratione prosequerentur atque simul providerent, ne patriarchae ullum cum Nicone commercium vel per litteras haberent neve a quoquam alio quam ab ipsis imperii curam gerentibus de invitationis causa certiores fierent. Insuper comes Matthaeus inquirere debebat, utrum illi patriarchae legitimi, an e suis sedibus pulsi vel ex ordine suo detrusi patriarchae essent. 2/XI patriarchae Moscoviam pervenerunt, ubi 4/XI honorifice ab ipso imperatore recepti sunt. 7/XI praeparatio ad synodum celebrandam peracta est, quae 1. die decembris convocata est. Cetera in proximum annum distulit scriptor.

I. Solov'ev, Zasluzhennyj professor bogoslovija v Moskovskom imperatorskom universitetě, protoierej Nikolaj Aleksandrovič Eleonskij. De Nicolao Alexandri Eleonskij, professore theologiae in Universitate Mosquensi). III, 705—728. (Eleonskij † 25/XII 1910). Eleonskij natus est 11/XI, 1843; post studia theologica magistri gradum a. 1868 in Academia Mosquensi adeptus est; ab a. 1868 ad 1870 magister fuit in seminario Charkoviensi et deinde in seminario Mosquensi; a. 1870—79 in academia Mosquensi scripturam ut docens explicabat; ab a. 1879—92 ordinarius professor dogmaticae in instituto agrario fuit; denique ab a. 1892—1910 professor ordinarius fundamentalis dogmaticae in universitate Mosquensi. Eleonskij e schola exegetica, quam episcopi Theophanes et Michael instituerunt, profectus, libertatem tamen suam ab iis servans, bene de re biblica in Russia meruit. Fructus studiorum suorum exegeticorum commentariis: „Чтенія въ Обществѣ Любителей Духовнаго Просвѣщенія“ inserebat, ubi cum quaedam de lectionibus graecis et slavicis bene commemorantur, tum commentationes minime spernendae inveniuntur. Etiam compendium ad geographiam biblicam sub titulo: „Очерки изъ библейской географіи“, I, Спб. 1896; et II, Представители животнаго царства въ св. Земль, Спб. 1897., composuit usus operibus: Raumer, Palästina; Schenkel, Bibellexicon; Riehm, Handwörterbuch des bibl. Altertums et russicis commentariis. Praeter opera exegetica parvum apologeticum composuit, quo eius discipuli uterentur: Ученіе по основному богословію въ сокращенномъ изложеніи, Вып. I. М., 1907.

Христианское Чтение (Christianskoe Čtenie) 1908—1912.

P. N. Žukovič. Pervyj pol'skij sejm poslě ubijstva Iosafata Kunceviča (De primo conventu procerum polonico habito post occisionem Iosaphati Kuncevicii), 1908, p. 27—41; 385—401. Conventus procerum polonicus haberi coepit die 6 februarii 1624. De eius actis loquitur scriptor. Miratur tamen nihil traditum esse quod ad condiciones Ecclesiae orthodoxae in regno polonico spectaret. Mirum etiam conventum silentium altum servasse de Iosaphato Kuncevicio occiso. Narratur a quibusdam scriptoribus eum gratias egisse principi Leoni Sapiehae ob severam et rapidam punitionem reorum. Sed haec narratio nullis nititur documentis. Hoc fortasse probat persuasum fuisse regi Sigismundo III nimio studio propagandae unionis Iosaphatum vindictam orthodoxorum excitasse.

M. M. Tarëev. Religioznyj sintez v filosofii V. S. Solov'eva (Synthesis religiosa in scriptis Vladimiri Solov'evi), 1908, p. 42 ad 86. In scriptis philosophicis Solov'evi reperiri possunt cuncta ipsius religiosi systematis elementa. Propositum huius philosophiae est conciliare quae in natura humana inter se repugnantia inveniuntur. Elementa philosophiae religiosae Solov'evi scriptor ex variis excerptit ipsius operibus. Quaedam antea exponit de philosophia religiosa in genere. Tuetur mysteria religioni necessaria esse tanquam aquam piscibus. De ratione, quae inter cognitionem religiosam et philosophicam intercedat disserit. Eius sententia philosophia religiosa est suprema cognitio religiosa, theoretica experientiae religiosae ad systema quoddam redactio. Haec tamen cognitio non excludit mysteria. Aestimationem instituit eorum, quae Solov'ev de Deo homine docebat. In quibus dissentiat capitibus a decretis Solov'evi explicat.

K. Grigor'ev. K apologii vëry v Hristovo voskresenie (Quaedam pertinentia ad defendendum iure credi Christum mortuum surrexisse), 1908, p. 87—107. Obiectiones edidit, quas die 30 octobris anni 1907 in academia ecclesiastica Kazanensi I. Glëbovio opposuit, qui opus composuit quod inscribitur: Voskresenie Gospoda i javlenie ego učenikam po voskresenii (De Domino a mortuis reduce ac viso a discipulis), Novočerkassk, 1905. Iudicat hoc opus carere omni auctoritate apud viros doctos; scriptorem studiose et sedulo in suam rem non inquisivisse: quaedam specimina apologetica eum collegisse, quae potius umbras quam lucem afferant.

B. V. Titlinov. Duhovnaja škola pred reformoj 1808 g. (De scholae ecclesiasticae rebus ante reformationem anno 1808 absolutam), 1908, p. 108—123. Agitur de conaminibus scholas ecclesiasticas renovandi tempore Alexandri primi. Anno 1803 edita sunt statuta de scholis primariis (učilišče) ecclesiasticis. Initio

saeculi XIX apud Russos quattuor academiae ecclesiasticae erant; 35 seminaria; 76 scholae ecclesiasticae. Anno 1808 in academiis ecclesiasticis numerabantur 3889 alumni; in 35 seminariis 20.018; in aliis scholis 4619: id est summam in 115 scholis ecclesiasticis erant 29.000 alumni. Reformatio academiarum incohata est anno 1798, cum praeter materias in seminariis tradendas permultae aliae disciplinae adiectae sunt. De mutationibus in programmatis factis, de condicione oeconomica harum scholarum agit scriptor.

A. B. Petrovskij. Někotoryja osobennosti drevnej kreščal'noj praktiki i ih slědy v sovremennom čině kreščenija (Quaedam proprietates veteris usus baptizandi, earumque in ritu baptismali huius temporis vestigia), 1908, p. 124—131. Scriptor primum docet baptizandi ritus vel eos, qui minoris momenti erant, ab antiquissima iam aetate determinatos fuisse. Loquitur deinde de antiquissima consuetudine in Ecclesiis orientalibus conducendi neophytos in ecclesiam sabbato hebdomadae sanctae. Codices, qui ritus ad hanc consuetudinem aptos describunt, commemorat. Vestigia huius consuetudinis adhuc in hoc reperiuntur quod neobaptizati post lavacrum baptismale in Ecclesiam adducuntur, vel ad confirmationem accipiendam, vel ad communionem.

S. V. Troickij. Evrejskij hram v Egiptě (De templo hebraico in Aegypto), 1908, p. 142—163. Agit de papyris in urbe Assuan, et imprimis in insula *Ἐλεφαντίνη* inventis. Haec documenta indolem iuridicam exhibent, et ex eis colonias iudaicas *Ἐλεφαντίνην* incoluisse cognoscimus. Pertinent ad V saeculum ante Iesum Christum. Ea in russicum convertit, atque historiam huius coloniae exponit.

D. S. Macěvič. K materialam dlja biografičeskogo Slovarja vospitannikov S.-Peterburgskoj duhovnoj Akademii (Documenta ad perficiendum lexicon biographicum alumnorum academiae ecclesiasticae petropolitanae pertinentia), 1908 p. 164—188; 315—342; 467—478. *M.* multis atque iustis prosequitur laudibus opus A. S. Rodoskii (Lexicon biographicum), anno 1907 Petropoli editum, ac vitas complectens alumnorum academiae ecclesiasticae petropolitanae, ab anno 1814—1869. Emenatione tamen et correctionibus id saepenumero indigere innuit. Plura hoc consilio edit, inter quae mentione digna supplementa vitarum Alexandri Sturdzae et Porphyrii Uspenskii.

N. K. Nikol'skij. Obščinnaja i kelejnaja žizn' v Kirillobėlozerskom monastyrě v XV i XVI vėkah i v načalě XVIII-go (Vita coenobitica et eremitica in monasterio beati Cyrilli Bėlozerensis, saeculis XV et XVI et initio saeculi XVII), 1908, p. 267—292. Pulcherrima commentatio de rebus, quas monachi russi saeculis XV et XVI appetebant. Scriptor commemorat quanti

momenti fuerint scripta et doctrina Iosephi Volokolamskii ad rationem vitae monachorum bělozerensium. Controversias saeculo XV in Russia exortas quaerentium utrum monasteria possent bona immobilia possidere necne enarrat, atque ea, quae in concilio centum capitulorum promulgata sunt praecepta refert.

P. S. Gorjučko. Dělo učitelja Mogilevskoj seminarii Iosifa Vasilevskago s arħiepiskopom Georgiem Konisskim (De lite inter Iosephum Vasilevskij, magistrum seminarii Mohileviensis, et archiepiscopum Georgium Konisskium orta), 1908, p. 293—314. Scriptor edit libellum, quo denuntiatus est a Vasilevskio archiepiscopus bělorussus Konisskij († 1795), atque addit huius apologiam.

E. A. Voroncov. Syn božij po estestvu, i syn božij po blagodatī (Filius Dei secundum naturam, et Filii Dei secundum gratiam), 1908, p. 365—384. Explicat scriptor theologice versus 12 et 13 capitis secundi epistolae S. Pauli Apostoli ad Hebraeos. Ostendit caput revelationis evangelicae consistere in revelatione paternitatis adoptivae Dei erga homines. Haec revelatio intimo devincitur nexu cum soteriologia novi testamenti, quo fit, ut omnia testimonia biblica illustrantia σωτηριαν κατ' ἐξοχήν quidpiam novi ferant ad umbras fugandas novae et arcanae hominis vitae. Epistola ad Hebraeos, quae monumentum dogmaticum aestimatur, maximi momenti est ad soteriologiam.

P. S. Smirnov. Vozniknovenie diakonov činy i pervye eja protivniki (Secta quae vocatur diaconorum eiusque primi adversarii), 1908, p. 402—421; 533—564; 696—729; 953—968. Scriptor, quem facile principem in historia vetero-ritualistarum omnes agnoscunt, qua pollet eruditione de controversiis inter illos ob formam crucis exortis disserit. Protopopa Avvakum dicebat: Triplex est crux: octangularis; septangularis; quadrangularis. Prima est crux Christi; secunda sancti Petri; tertia est crux vulgaris. Primam tantum crucem oportet adorari. Ad finem vergente saeculo XVII inter veteroritualistas Kerženenses de forma crucis disceptatum est. De hisce controversiis disserit scriptor, et argumenta refert exposita in Libro (Книга) Timothei Matvěvi Lysenini anno 1709 conscripto.

B. V. Titlinov. Komitet duhovnyh učilišč 1807—1808 gg. i učiliščnye ustavy (De collegio virorum reformandis scholis ecclesiasticis 1807—1808, et de harum scholarum legibus), 1908, p. 422—447. Recensentur huius collegii viri, quorum illustrissimi habentur Ambrosius Podobědov, Theophylactus Rusanov, Speranskij, Golycyn. Praecipua capita legum ab eis promulgatarum exhibentur. Narratur complures episcopos russos hisce legibus suffragatos non esse, propterea quod iis seminaria dicioni academiarum ecclesiasticarum subiecta essent, et potestas episcopalis in scholas ecclesiasticas limitibus esset circumscripta.

S. B. Nedačín. V ěrovanija japoncevi japonskie hramy (De iaponensium de religionibus opinionibus et de templis iaponicis), 1908, p. 448—466; 604—624. De buddhismo ac de shintoismo agitur ac de sectis ab utraque religione exortis. Praecipua deinde ac maximae venerationis templa iaponensium describuntur, ac de rebus eorum exponitur.

K. B. Harlampovič. K voprosu o načalě hristianstva v Hersoně Tavričeskom (Quaedam ad quaestionem de fidei christianae in Chersoneso Taurica origine pertinentia), 1908, p. 479 ad 484. Paucis ante annis agitata est quaestio de origine christianae religionis in paeninsula Taurica. Controversiae imprimis de praeconio S. Andreae apostoli, S. Clementis romani, et de septem martyribus chersonensibus, qui martyrium subierunt ascendente saeculo IV instituuntur. Natura legendaria praeconii apostolici in Chersoneso omnem iam tollit dubitationem. S. B. Petrovskij in commentatione, quam scripsit de narratione de praedicatione apostolica in civitatibus ad litus septentrionale et Ponti Euxini sitis, edita in Zapiski Societatis historiae et antiquitatum universitatis odessensis (XX et XXI, 1897—1898) apocryphis traditionibus ac documentis legendam illam inniti abunde demonstravit. Item dubia de veritate historica passionis S. Clementis romani in Chersoneso exorta sunt, ut fas est videre in opere scriptoris rutheni Franko, S'vjatij Kliment u Korsuni, quod insertum est libro VII (1903) Actorum societatis Leopoliensis quae a Ševčenko denominatur. Tenacior est defensio veritatis documentorum, quae ad septem martyres episcopos chersonenses referuntur. Post editum Propylaeum ad acta sanctorum (Bruxellis, 1902), complures scriptores russi de his martyribus egerunt. Anno 1906. Basilius Latyšev edidit vitas sanctorum episcoporum chersonensium (Petropoli). Anno proximo Kioviae S. P. Šestakov libro de origine christianismi in Chersonesi regione hoc idem thema aggressus est. De ea re exponunt etiam Ajnalov, qui scripsit de monumentis Chersonensi christianae, Mosquae, 1905; Eugenius Golubinskij, qui de sanctis martyribus chersonensibus, quorum dies festus 7 martii agitur, librum Petropoli 1907 edidit; Kulakovskij, qui antiquam historiam regionis Tauricae tractavit Kioviae, 1907; Ivanov, qui de Chersonesi tauricae rebus librum composuit, Petropoli, 1907. Investigationibus his virorum eruditorum, quos commemoravimus, eruitur, initium christianismi in Chersoneso ad annum 381 referendum esse; praeconium doctrinae christianae miseros vel nullos fructus tulisse, usque ad saeculum septimum.

N. N. Glubokovskij. Sv. Apostol Pavel i filosof Seneka (Sanctus apostolus Paulus, et Seneca philosophus), 1908, p. 503 ad 532; 645—674. Summa qua pollet eruditione hoc thema saepe iam tractatum clarissimus scriptor explicat, ditissimisque exornat adnotationibus bibliographicis. Investigat rationem quae inter S.

Paulum et Senecam intercessisse fertur. Decreta philosophica et moralia Senecae et generatim stoicismi perpendit, eaque cum doctrina S. Pauli comparat. Ait suis decretis Senecam religionem christianam in eo quod ipsius est essentia reiecisse.

V. A. Kerenskij. Mariavity (Mariavitae), 1908, p. 565—581. Scriptor monet huc usque pauca cognosci de doctrinis Mariavitarum. Hanc lacunam quodammodo implent leges societatis mariaviticae in oppido Lodz editae anno 1908. Capita eorum in compendium rediguntur. Primo intuitu in eis nihil videtur esse, quod Mariavitas cogat ad catholicam relinquendam Ecclesiam. Sedulo tamen ea perlegenti statim patebit gravissimis causis Mariavitas inductos esse ad novam Ecclesiam constituendam. Ab eis illud negatur dogma quod fundamentum habetur fidei catholicae, primatum dico Papae. Cum a catholicis mariavitae existimentur horribiles haeretici, ab orthodoxis antesignani censentur purioris christianismi, qui certant ut novas res romanas ab eo removeant. Tendere scriptori videntur ad unionem cum veterocatholicis: auxilium forsitan accipere possint ab Ecclesia orthodoxa, sed spiritu romano imbuti hanc cum Ecclesia orthodoxa amicitiam respuunt. Sublato tamen primatu Papae, nihil amplius obstat quominus Ecclesia orthodoxa eos in suum revocet sinum.

A. A. Papkov. Cerkovno-obščestvennoe ustrojstvo i upravlenie v pervye tri věka hristianstva (Quomodo ecclesiae societas et administratio tribus primis Ecclesiae saeculis temperata fuerit), 1908, p. 582—603. Scriptor synthetice colligit omnia, quae de vita Ecclesiae primitivae in libris apocryphis continentur, qui inscribuntur *Πράξεις Πέτρον* et *Πράξεις Παύλου*.

A. B. Petrovskij. Čin vozvedenija v ģorepiskopa (De ritu ordinandi chorepiscopum). 1908, p. 625—631. Addenda quaedam hic edit scriptor commentationi N. Dobronravovi de chorepiscoporum in antiqua Ecclesia orientali munere, editae anno 1907 in commentariis *Bogoslovskij Věstnik*. Commemorat uberius exponi huiusmodi ritum in codice M. 371—48, saeculi XV, bibliothecae patriarchalis alexandrinae. De ceteris codicibus eum continentibus disserit. Tuetur saeculo XIV—XV chorepiscopos non habuisse dignitatem episcopi.

K. N. Faminskij. Vnov' najdennyj otryvok nekanoničeskago Evangelija (De fragmento nuper invento evangelii apocryphi), 1908, p. 632—636. Agit de opere Grenfell et Hunt: *Fragment of an uncanonical Gospel*, ed. Londini, 1908.

B. Družinin. Svjaščennoierej Matvěj Andrěev, ego besědy s bezpopovcami i poslanija knim (De Matthaeo Andrěev, presbytero, eiusque cum secta presbyteros reicientium sermonibus, et epistolis, quas eis misit), 1908, p. 730—762; 969—1043; 1195—1236; 1342—1364. Initio saeculi XVIII Theodosius Vasil'ev

et Ignatius Trophimov docere coeperunt Ecclesias facta esse refugia antichristi; cruces insidias Satanae; presbyteros lupos; gratiam Spiritus Sancti deletam in terris. Litterae in quibus hi errores exponebantur, missae sunt ad patres Kerženenses, veteroritualistas. Patres responderunt, et unus ex illis, nomine Matthaeus Andrěev, missus est illis ad eos refellendos. Vitam huius missionarii describit Družinin, ac varia edita documenta quae ad hanc pertinent controversiam.

A. B. Kartašev. Христианство на Руси в период догосударственныj (Christianismus quomodo in Russia floruerit ante russicae nationis constitutionem), 1908, p. 763—778. Duo sibi proponit scriptor: primum determinare fines ethnographicos regionis russicae ex qua Russi christianismum cognoverunt; deinde, determinare quae elementa christiana et per quos populos ad Russos pervenerint.

I. A. Glěbov. Kakaja dolžna byt' apologija věry v Хristovo voskresenie (Quaenam necesse est sit apologia credendae resurrectionis Christi), 1908, p. 779—792. Respondetur ad ea, quae Grigor'ev in Христианское Чtenie, 1908, p. 87—107 attulit.

P. S. Smirnov. Spory v raskolě po voprosu o primě prihodjaščih v raskol v pervoj polovině XVIII vėka (De controversiis in schismate russo ascendente saec. XVIII ortis de recipiendis sociis), 1908, p. 815—851. Saeculo XVII orta est iam controversia de modo recipiendi in communitates veteroritualistarum (staroobrjadcy) profugos ab Ecclesia orthodoxa russica. Qui homines suam salutem adipisci sine hierarchia tuebantur, Niconianos iterum baptizabant; qui vero presbyteros apostatas Ecclesiae russicae ad sacra facienda accipiebant, hunc usum improbabant. Initio saeculi XVIII necessitatem alterius baptismatis monachi eremi Vygensis tuebantur, qui nomen clarissimum in historia russici schismatis adepti sunt. Historiam theologiam huius controversiae ex fontibus nondum editis enarrat scriptor.

P. N. Žukovič. Novye materialy dlja načal'noj istorii sejmovoj bor'by s cerkovnoj uniej (Nova documenta pertinentia ad historiam certaminum inter conventum procerum varsaviensem, et unionem bresciensem), 1908, p. 852—879; 880—907. Conventus procerum varsaviensis coactus anno 1579 die 10 februarii sedit usque ad diem 25 martii, id est quattuor mensibus postquam in concilio bresciensi facta est unio ecclesiastica. In eo nobiles orthodoxi, atque imprimis princeps Constantinus Ostrogensis bellum adversus unionem bresciensem moverunt. In eodem causa agitata est praesidis eiusdem synodi, Nicephori, exarchae patriarchae Constant., quem qui regnum polonicum administrabant criminum politicorum insimulabant. Maximi momenti documenta ad haec

omnia pertinentia Eugenius Barwinski edidit in XX tomo corporis, quod inscribitur: *Scriptores rerum polonicarum*, edito ab academia cracoviensi anno 1907. Ex hisce documentis suae commentationis elementa depromit scriptor.

I. I. Sokolov. Bor'ba konstantinopol'skago patriarĥa Grigorija VI s inoslavnoju propagandoju na Vostokĕ (Gregorii VI patriarchae constantinopolitani adversus praeconium heterodoxum in Oriente certamen enarratur), 1908, p. 908—931; 1313—1341; 1433—1450; 1636—1673. Gregorius VI bis tenuit sedem oecumenicam, annis 1835—1840; 1867—1871. Praecipua eius merita in hoc consistunt quod sedulo incubuit servandae integritati fidei orthodoxae adversus praecones catholicos et protestantes. Scriptor instituta ab eo describit, leges ab eo datas diiudicat; ipsius acta examini subicit, maxime eius encyclicam adversus catholicos et protestantes anno 1836 editam.

N. Glubokovskij. Blagovĕstie sv. apostola Pavla i elinskaja filosofija (Evangelium S. Pauli apostoli cum philosophia graeca comparatur), 1908, p. 932—953; 1045—1063. Examen philosophiae stoicae apertissime demonstrat maximam inter eam et fidem christianam differentiam. Hoc idem dicendum est de discrepantia inter philosophiam christianam atque ethnicam. Scriptor Socratis, Platonis, Heracliti decreta cum sententiis S. Pauli comparat et in quo convenient aut discrepent summa eruditione declarat.

E. A. Voroncov. Gospod Iisus Hristos i Moisej. (De Domino Iesu Christo et Moyse inter se comparatis), 1908, p. 1082 ad 1110. Explicantur versus 1—16 capitis tertii epistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. Videri potest supervacaneum esse demonstrari praestare Iesum Christum Moysi. Hoc tamen est propositum s. Paulo. Theologia christiana nondum efformata, S. Paulus movebatur ad rectam notionem divinitatis Iesu tradendam, qua Iudaei carebant. A Iesu longe superari Moysem ostendit ex eo quod Iesus Christus sit effector saeculorum; omnia ferens; legisdator universalis, auctor Ecclesiae.

P. N. Žukovič. Pered kazackim razgromom: varšavskij sejm 1625 goda (Ante incursionem a Cosacis factam: conventus procerum varsaviensis habitus anno 1625). 1908, p. 1111 ad 1147. Agitur maxime de condicione Ecclesiae unitae ruthenicae in qua tempore, quod indicatum est, fuit, et de Cosacis, qui illam tueri conati sunt.

D. Balanos. Nauka-li bogoslovie (Theologia num sit doctrina), 1908, p. 1180—1194. Commentatio Balani qui theologiae professor est Athenis, in Russicum hic versa est.

P. Verĥovskij. Vopros o cerkovnyĥ imĕnijah v carstvovanie Anny Ioannovny (Quaestio de bonis ecclesiasticis

regnante Anna Ioannovna) (1730—1740), 1908, p. 1238—1252, 1508 ad 1523. Regnum Annae iugum erat durissimum. Russia sub eius sceptro permulta tulit ex Germanis. Ecclesiam non vexavit Anna, quae reformare se velle monachismum, et liberare clerum a gravissimis oneribus professsa est. Ut id tamen attingeret, sibi proposuit monasteria bonis privare. Hoc qui regni administrandi curam gerebant aggressi non sunt, ut consilia illa sancta ad felicem perducerent exitum, sed solum, ut divitiis monachorum potirentur. Status bonorum ecclesiasticorum qui ea aetate fuit, describitur et leges afferuntur promulgatae, ut monasteria bonis exuerentur.

B. B. Bolotov. Otzyv o sočinenii: istoričeskaja sud'ba sočinenij Apollinarija laodikijskago (Opus de historia operum Apollinarii Laodicensi conscriptum aestimatur), 1908, p. 1253 ad 1275; 1400—1420. Hocce opus Anatolius Spasskij edidit, in praesens professor academiae ecclesiasticae mosquensis, anno 1895, in oppido Sergievo. Hanc aestimationem scripsit Bolotov anno 1898. Opus Spasskii ab initio dignum est habitum praemio metropolitae Macarii: hoc tamen ei praemium datum non est. Anno 1901 Voisin edidit: *L'apollinarisme: étude historique*, Lovanii, 1901, et anno 1904 Lietzmann suum volumen: *Apollinaris von Laodicea und seine Schule*, Tubingae, 1904. Aestimatio tamen Bolotovi auctoritate doctrinae vel in praesens pollet. In ea tuetur litteras S. Basilii ad Apollinarem vere eius esse, quae sententia defensorem habuit Dräseke.

A. I. Brilliantov. K voprosu o benediktinskih izdani-jaŭ tvorenij sv. otcov (Ad quaestionem de editionibus benedictinis operum sanctorum Patrum quaedam conferuntur), 1908, p. 1365—1378. Bolotov in introductione ad historiam ecclesiasticam nullas laudes decernit editionibus benedictinis sanctorum Patrum. Hoc iniquum iudicium castigavit Spasskij in *Bogosl. Věstnik* Respondet Brilliantov, Bolotovium optime cognovisse huiusmodi editiones ex patrologia Migneiana. Monuit tamen traditionem scriptam utilitatem habere in controversiis theologicis, quapropter veteres etiam, Benedictinorum editionibus Patrum antiquiores, codices legendos esse. Hoc non probat veteres illas editiones perfectiores esse quam Benedictinorum, sed ex eis interdum elementa depromi ad antiquiores lectiones rite dignoscendas. Nemo est qui neget insignia Benedictinorum in his editionibus perficiendis merita: at neminem etiam latet complures defectus et lacunas in eis inveniri, ut ostendit Preuschen.

S. M. Zarin. Otvět na kritiku prof. M. M. Tarěeva (Responsum ad aestimationem, quam fecit professor Tarěev), 1908, p. 1379—1399; 1909 p. 97—135; 293—318; 441—466; 623—644; 790—798. Zarin anno 1907 amplum de ascetismo e doctrina christiana orthodoxa iudicato opus ediderat. In commentariis *Bog. Věstnik*, prof. M. M. Tarěev vehementissimis verbis hoc opus,

ipsumque scriptorem est aggressus. Occurrit haec disputatio iis, quae attulit Taršev.

A. Kerenskij. Reformirovannyja rimsko-katoličeski-ja seminarii po ustavu 1908 goda (De seminariis romanocatholicis ad normam decretorum anno 1908 editorum immutandis), 1908, p. 1451—1469; 1587—1598. Scriptor animadvertisse sibi videtur educationem cleri apud catholicos aversionem gignere a disciplinis profanis. Quam aversionem antiquioris esse originis. In Ecclesia orientali Pantaenus, Clemens alexandrinus, Origenes, praeter studium Sacrae Scripturae etiam scientiam litteraturae profanae poscunt; contra apud Latinos Tertullianus, Cyprianus, Augustinus revelationem venerantur ut scientiam quae absolutam possidet veritatem, ac philosophiam paganam ut absolutum reiciunt mendacium. Ex huiusmodi studiis orta sunt seminaria occidentalia, quorum historiam adumbrat scriptor. Exponit deinde praecipua capita programmatis seminariorum anno 1908 iussu Pii X promulgati.

Sergius (episcopus). Měsjac po Japonii (Mensis itineris in Iaponia), 1908, p. 1470—1486; 1573—1586; 1909, 22—36; 238—251; 390—402; 574—587; 725—736; 965—981. Ecclesias orthodoxas et vitam religiosam Iaponensium orthodoxorum S. describit.

M. Posnov. Novye tipy postroenija drevnej istorii cerkvi (Novi modi conficiendae historiae antiquae Ecclesiae), 1908, p. 1487—1501; 1620—1636. 1909, p. 67—96. Tria prima saecula religionis christianae fundamentum ait scriptor esse totius historiae Ecclesiae. Ratio tamen vitae christianae pervestigandae antiqua illa aetate varia est: inde complures scholae historicae ortae sunt, quae Christum, fundamentum totius Ecclesiae, diverso modo considerant. Scriptor praecipue perpendit modum et decreta viri historici protestantis Neanderi.

P. V. Levitov. Něskol'ko slov o položenii npravstvennago bogoslovija v duhovnyh seminarijah (Aliquot verba de statu theologiae moralis in seminariis ecclesiasticis), 1908, p. 1502—1507. Dolet scriptor duas tantum lectiones quavis hebdomada theologiae moralis haberi in seminariis ecclesiasticis. Haud probat multum temporis impendi in studium linguae latinae vel theologiae dogmaticae, neglecta theologia morali, quia doctrina ad mores et usum pertinens maioris momenti sit, quam ea, quae ad solam rationem refertur.

A. B. Petrovskij. K istorii razvitija obrjadovoj storony čina vėnčanija (Quaedam historiam ritus matrimonii ineundi illustrantia), 1908, p. 1599—1619. Ritus matrimonii ineundi fixus in antiqua non reperitur Ecclesia. Variis mutationibus obnoxius, modo simplicior, modo implicatior erat. Primis octo saeculis apud Patres Ecclesiae tantum quaedam fragmenta eius occurrunt. Codices antiqui saeculis VIII et IX scripti eam ritus formam nobis iam praë-

bent ad quam in fine progressus pervenerat. Variationes ipsius diligenti codicum manuscriptorum examine indicat scriptor.

N. Glubokovskij. Iz perepiski preosv. Smaragda (Kryžanovskago), arĥiepiskopa Rjazanskago (Ex litteris Smaragdi episcopi [Kryžanovskii, archiepiscopi Rjazanensis]), 1908, p. 1673—1692. Hic episcopus natus anno 1796, in academia ecclesiastica petropolitana theologia imbutus, complures eparchias rexit. Vita defunctus est anno 1863. Dum Polocensem et Vilnensem regit Ecclesiam (1833—1837) defectionem unitorum ab Ecclesia catholica paravit. Litterae, quae hic eduntur, missae sunt ad S. Nečaev, procuratorem supremum sanctissimae synodi, suntque de unitis.

P. S. Smirnov. Perepiska raskol'ničeskiĥ dĭjatelej načala XVIII věka (Commercium epistulare ducum et principum russici schismatis initio saeculi XVIII), 1909, p. 37—66; 171—215; 403—420. Exponitur de scriptis ineditis vel parum notis Theodosii Vasil'evi, a quo secta profecta est quae a presbyteris rei-ciendis denominatur bezpopovščina. Duo ex scriptis a Smirnovio editis omnino incognita erant. Unum ex iis ad annum 1701 refertur, quo tempore Poloniam incolebat Theodosius. Exhortatur raskolnikos, quos vocant, ut constantes se praestent dum vexantur. Alterum epistula est sectariis monasterii Vygensis missa, de differentiis quae inter eos ac Theodosianos intercedunt. Scripta est anno 1705. Tertium, quod anno 1711 scriptum est, exhortatio est ad suos. De hisce scriptis, quae edit scriptor, disseritur, de codicibus in quibus reperiuntur, deque rebus in eis contentis.

P. B. Levitov. Vvedenie v ĥristianskoe nra vstvennoe bogoslovie (Introductio ad theologiam moralem orthodoxam), 1909, p. 81—96; 279—292. Agitur primum de definienda hac disciplina; definitur a scriptore: Disciplina quae via ac ratione exponit christianam de moribus doctrinam vel doctrina de moralitate christiana. Hanc definitionem accurate explicat. Disserit deinde de ratione huius disciplinae ad religionem. Ait apud Russos diu invaluisse hanc opinionem esse non posse perfectam de honesto doctrinam sine religione. Quapropter in seminariis alumnis tradebatur atheos nullis exornari virtutibus moralibus, neque infidelium virtutes veras esse. Haec sententia qua statuitur sine religione nullam esse honestatem pugnat cum experientia. Quaedam tangit scriptor de systemate morali Kantiano et Nietzscheano Distinguit usum vitae a principiis metaphysicis honestatis. Hisce principiis caret atheus. Exponit deinde de Redemptionis Christi ad vitam moralem christianam momento. Exponuntur rationes inter theologiam moralem et dogmaticam, ceterasque disciplinas theologicas, disciplinas profanas philosophiam moralem. Eos refellit scriptor qui theologiam moralem omnino liberam esse a theologia dogmatica tuentur, perinde acsi nullum intercedat vinculum inter ea quae in usu et ea quae

in ratione posita sunt. Ostendit cognitionem rerum, quae ad dogmaticam pertinent, velut attributorum Dei, usui vitae christianae intercedere. Sacra Scriptura est fons doctrinae moralis christianae: historia ecclesiastica indicat Ecclesiae de controversiis moralibus iudicium; theologia fundamentalis res, quae in cunctis disciplinis theologis fundamentorum instar sunt, confirmat: liturgia elementa moralia quaedam per traditionem conservat; ius canonicum praecepta vitae moralis iuridice confirmat; homiletica eas aperit et explicat fidelibus; theologia pastoralis ostendit quomodo implenda sint praecepta theologiae moralis. Inter disciplinas profanas philosophia moralis artissime coniuncta est cum theologia morali. Quaedam utrique communes sunt quaestiones; velut de essentia boni moralis; de lege morali; de vita morali hominis. Differunt in obiecto, in rationibus quaestionum, in modo rei pervestigandae. Momentum theologiae moralis inde repetitur, quod humano sciendi desiderio satisfacit in rebus maxime necessariis; ampliorem reddit provinciam disciplinarum theologiarum; ad vitae usum confert. Modus disciplinae moralis propior est disciplinis anthropologicis et philosophicis quam theologiae dogmaticae. Causae huius rei exponuntur. Denique theologia moralis duas in partes dividitur. In priore principia generalia moralis christianae exponuntur; in altera officia christiani, ut personae individuae erga Deum, seipsum, alios homines.

I. I. Sokolov. Patriaršij sud nad ubijcami v Vizantii X—XV v. (De tribunali patriarchali eiusque sententiis in homicidas saeculis X—XV latis) 1900, p. 216—237; 363—389. Scriptor privilegium iudicandi homicidas, quod patriarchis byzantinis erat, ex iure asyli manasse docet. Historiam huius iuris breviter enarrat a saeculo IV. Deinde monumenta iuridica et ecclesiastica refert et pervestigat e quibus eruitur patriarchas habuisse atque exercuisse huiusmodi ius usque ad annum 1453.

K. B. Harlampovič. Arh. Kazanskij Vladimir Petrov, ego žizn' i dējatel'nost' (De Vladimiri Petrov, archiepiscopi kazanensis, vita et operibus), 1909, p. 252—278; 752—768; 1910 p. 242—255; 388—400; 1000—1011; 1911 p. 937—963; 1079 ad 1108; 1426—1449. Narrat res gestas huius episcopi cum operam daret convertendis ad Christum hominibus in regione Altaica annis 1865—1883.

P. S. Smirnov. Centry raskola v pervoj četverti XVIII vėka (De praecipuis schismatis russici primis 25 annis saeculi XVIII sedibus), 1909, p. 338—362; 533—573. Praeclara commentatio ad historiam et vitam schismatis interioris Ecclesiae russicae pertinens. Generatim monendum est quidquid a Smirnovio de historia schismatis russici scribitur, summa eruditione et iudicii acumine nitere. In hac commentatione primitivam textit historiam et monasteriorum et conventuum raskolnicorum qui

latissimam consecuti sunt famam, nempe Pomeraniensis conventus, Kerženensis, Siberiaci, Větkensis, Starodub'ensis, Rjapinensis, Mosquensis. Complura ex documentis non editis hausit scriptor.

N. N. Glubokovskij. Preosv. Ioann Kratirov, byvšij episkop Saratovskij, rektor S.-Peterburgskoj duhovnoj Akademii (De Ioanne Kratirov, illustrissimo quondam episcopo Saratoviensi, rectore academiae ecclesiasticae petropolitanae [annis 1895 ad 1899]), 1909, p. 421—440. Ioannes Alexandri filius Kratirov, ortus Lohta, in gubernio Vologdensi, die 27 iulii 1839, vita defunctus Mosquae die 12 februarii 1909, rector fuit Academiae ecclesiasticae petropolitanae. Eius vitam paucis enarrat Glubokovskij, fontesque vitae eius scribendae indicat.

N. N. Glubokovskij. Blagověstie sv. Apostola Pavla i misterii (Sancti apostoli Pauli evangelium cum mysteriis comparatur), 1909, p. 475—499; 803—827. Commentatio mirae eruditionis. „Apostolus Paulus vixit et cogitavit ut christianus, et in spiritu christianismi. Hic tamen non est ab omni alia doctrina alienus. Paulus aetatem suam syncretisticam sequitur, et doctrina apostolica est etiam syncretismus, in quo elementa philosophiae graecae et mysticismi orientalis coaluerunt“. Hanc doctrinam examini subicit scriptor: in quo mysteria pagana a sacramentis legis christianae discrepent, indicat.

P. N. Žukovič. Kazackij razgrom i Kurukovskij dogovor 1625 goda (De incursione Cosacorum et pactone Kurukoviensi anni 1625), 1909, p. 515—532; 769—798. Cosacorum incursionem et ad rei publicae et ad religionis rationes referendam esse Ž. ostendit. Pactum kurukoviense a lacu Kurukov denominatur.

M. E. Posnov. Pervaja hristianskaja obščina i kommunizm (De primo christianorum conventu et de comunismo), 1909, p. 588—602; 737—751. Scriptor sibi proposuit certamen agere cum socialismo via ac ratione procedente, qui in primordiis religionis christianae christianos dominium singulorum reiecisce defendit. Exponit Kautskii de hac re sententiam, ipsumque deinde refellit. Communitatem bonorum in prima Ecclesia christiana rem omnino diversam esse a comunismo existimat, et fundamentis inniti religionis. Quae communitas peculiari temporum rationi originem debet, neque extra ecclesiam hierosolymitanam recepta est; sequitur normam vitae christianae ex ea ducendam non esse.

N. A. Rigana. Iz istorii hristianstva v Persii (Ex historia christianismi apud Persas), 1909, p. 603—622; 982—1014; 1910 p. 61—71; 266—285. Pervestigat scriptor aetatem quae ab anno 1281 ad annum 1317 usque pertinet. Vitam enarrat patriarchae nestoriani Mar lab-Alaha, et monachi Raban Sauma, exemplum syriacum editum a Chabot, Parisiis, anno 1895 secutus.

E. A. Voroncov. Vvedenie Pervorodnago vo vselennuju (De primogenito in orbem terrarum introducto), 1909, p. 645—658;

845—858. Scriptor versum 6 cap. I epistolae Pauli apostoli ad Hebraeos interpretatur. Dissertit imprimis de Primogenito praestante Angelis, de missione Angelorum, de vi vocis primogeniti.

B. A. Koževnikov. Ispověď' ateista (De confessione athei), 1909, p. 659—681. Diiudicat scriptor recens opus Felicis Le Dantec, quod inscribitur *L'Athéisme*, Parisiis, 1907.

P. S. Smirnov. Vzgljad raskola na pereživaemoe vremja v pervoj četverti XVIII věka (Quid raskolnici russi senserint de iis quae primis 25 annis saeculi XVIII videbant), 1909, p. 682—724. Aetatem rerum a Petro Magno mutatarum diverso modo aestimabant Popovcy et Bezpopovcy. Hi tenebant iam postremum mundi terminum proximum esse, atque antichristum in terris versari. Ex eis tamen alii antichristum humana specie indutum homines allocuturum esse putabant; alii autem ad symbolum rem referebant. Hasce varias sententias exponit scriptor. Quid de Petro I ut antichristo raskolnici senserint, tradit; de antichristo spirituali dissertit. Scripta de hac re Theodosii Vasil'evi et Andreae Denisovi perpendit.

P. S. Smirnov. Spory v raskolě v pervoj četverti XVIII věka (De controversiis inter rascolnicos primis 25 annis saeculi XVIII ortis), 1909, p. 859—906. Exponitur de controversiis inter rascolnicos theodosianos et Vygenses ob titulum crucis ortis. Iam saeculo XVII Ignatius diaconus monasterii Solovkae servire antichristo aiebat omnes quotquot crucem in qua inscriptum esset I. N. R. I. venerarentur. Historiam huius controversiae, litterariam potissimum, enarrat scriptor.

P. N. Žukovič. Pervyj pol'skij sejm poslě Kurukovskago razgroma Kazakov (De primo procerum conventu polonico post incursionem Cosacorum habito), 1909, p. 907—964. De rebus in hoc conventu anni 1626 tractatis dissertit scriptor. In ea actum est de modis pacis conciliandae religioni orthodoxae.

I. I. Sokolov. Pečalovanie patriarhov pred vasilevami v Vizantii IX—XV v. (De patriarcharum byzantinorum iure intercedendi apud imperatores byzantinos saeculis IX—XV). 1909, p. 933—964. In monumentis iuridicis byzantinis hoc ius *μεσιτεία, προστασία, δέησις, πρεσβεία, παρηγορία* vocatur. Patriarchae iure fruebantur intercedendi pro iniuste vexatis; petendi ut ipsi a violentiis et poenis arcerentur; praestandi eis auxilium. Historiam huius privilegii documentorum examine S. enucleat.

A. P. D'jakonov. Ioan Efesskij, sirijskij cerkovnyj istorik XI v. (De Ioanne Ephesino, rerum ecclesiae syrae scriptore saeculi VI), 1909, p. 1015—1024. Paucis exponit scriptor, quid sibi proposuerit in conscribendo volumine de Ioanne Ephesino eiusque operibus historicis, quod lauream magistri adepturus academiae ecclesiasticae petropolitanae proposuit.

B. A. Koževnikov. O značenii hristianskago podvižničestva v prošlom i v nastojaščem (De momento ascetismi christiani anteacta et praesenti aetate), 1909, p. 1059—1087; 1260 ad 1288; 1394—1419; 1534—1564. Sententias quorundam recentiorum de prima origine monachismi K. exponit. Ostendit falsam esse Weingartenii opinionem qui monachismum immutatam esse formam partis asceticae cultus Serapidis putat. Subicit pariter examini sententias illorum, qui illum a neoplatonismo repetunt, vel a religione buddhistica. Demonstrat etsi quaedam similitudo exterior sit cum ascetismo indico vel graeco-romano, ascetismum tamen christianum sive in suis ultimis finibus, sive in suis methodis ab eis plane diversum esse.

P. N. Žukovič. Žizneopisanie mitr. Iosifa Ven'jamina Ruskago, sostavlennoe mitr. Rafailom Korsakom, i sočinenie Ruskago ob ulučšenii vnutrennjago stroja uniatskoj cerkvi (Vita metropolitae Iosephi Beniamini Ruskii, descripta a metropolita Raphaelo Korsakio, opusque quod Ruskij de perficienda constitutione interiore Ecclesiae unitae composuit), 1909, p. 1088—1107. In codice quodam Pauli Dobrohotovae, episcopi olonicensis († 1902), academiae scientiarum petropolitanae dono dato, opus latine scriptum Raphaelis Korsakii (1637—1641) reperitur inscriptum: Vita Iosephi Velamin Ruskii, metropolitae Rhussiae, conscripta latine ab eius successore Raphaelo Korsak, metropolita Rhussiae, eiusdemque verbis hic transcripta ex manuscripto quod haberi potuit, alicubi mutilo, nec absoluto. De fati huius opellae ac notitiis in ea collectis disserit scriptor. In eodem codice inest „Discursus Iosephi de instaurando ritu graeco, cum adhuc in saeculo ageret, tacito nomine proprio, polonice conscriptus“. Hoc documentum maximi momenti in compendium redigit scriptor.

N. K. Nikolskij. Materialy dlja istorii drevnerusskoj duhovnoj pis'mennosti (Documenta spectantia ad historiam veteris litteraturae russicae), 1909, p. 1108—1125. Complures edit N, veteres textus palaeoslavicos; fragmentum sermonis S. Petri metropolitae († 1326); epistolam Nili, episcopi Tverensis († 1509) ad Georgium Dmitrëvicium; epistulas Maximi graeci et Theodori Karpovi. Notitias eruditionis plenas eis praefigit de ipsis scriptoribus, eorum scriptis editis atque ineditis, et codicibus ea comprehendentibus.

P. S. Smirnov. Voprosy pervoj četverti XVIII vëka vyzvannye položeniem raskola v pravoslavnom gosudarstve (Quaestiones primis 25 annis saeculi XVIII exortae, ob statum schismatis russici in imperio orthodoxo), 1909, p. 1126 ad 1157. Agit scriptor de communionem fovenda ex parte raskolnicorum cum niconianis; doctrina raskolnicorum de iis quae adhibenda sint ad fidelitatem veteribus ritibus servandam enucleatur.

De magistris schismatis qui suos hortantur discipulos ut aufugiant. Quomodo sese gesserint Theodosiani in cibo, vino, cerevisia sumenda. De precibus pro imperatore. De kalendario raskolnicorum. In cunctis hisce capitibus tractandis scribit S. historiam litterariam theologiae raskolnicorum.

N. N. Glubokovskij. Bakkalavry S.-Peterburgskoj duhovnoj Akademii ieromonah Serafim Azbukin i ieromonah Martirij Gorbačevič (De baccalaureis Academiae ecclesiasticae petropolitanae hieromonacho Seraphim Azbukin, et hieromonacho Martyrio Gorbačevič), 1909, p. 1158—1187. Vitam scribit G. virorum quos commemoravimus. Prior († 1854) Sacram Scripturam docuit in academia ecclesiastica petropolitana, et complura reliquit opera inedita: alter († 1873) complura edidit de cantu liturgico in Hr. Čtenie. Ditissima bibliographia communitur commentatio.

S. Pisarev. Akafist Presv. Vladyčičě našej Bogorodicěi Prisnoděvě Marii na slavjanskom i russkom jazykah (De acathisto beatissimae Matris Dei Virginis Mariae in slavicum et russicum converso), 1909, p. 1188—1206; 1483—1506; 1595—1615. Brevem historiam acathisti P. scribit. Eum saeculo VII conscriptum esse a Georgio Piside, atque in posterum variis additionibus auctum existimat. Cum in versionibus slavicis et russicis plurima occurrant verba et notiones historicae quae populi captum superant, comparationem instituit inter eas; difficiliora explanat verba; adnotationes historicas adiungit.

A. B. Holmovskij. Někatoryja zaměčanija k perevodu Sv. Pisanija (Quaedam de versione Bibliorum), 1909, p. 1207—1214; 1910 p. 36—42. Versionem russicam bibliorum H. ait in quibusdam minus accuratam esse, vel quia obsoleta verba contineat, vel ex graeco serviliter facta sit. Hasce lacunas aperit. Velut pro V načalě (In principio) praefert Iz načala (Ex principio).

P. P. Todorskij. Ieromonah Simon Todorskij i ego četyre neizdannyh slova (De Simeone Todorskio hieromonacho eiusque quattuor orationibus ineditis), 1909, p. 1215—1235; 1507—1520; 1616—1631. Pertinet hic vir ad praecipuos episcopos russos saeculi XVIII. Natus est anno 1701 in pago Zolotonoša, ex Theodoro Ivanovicio, cosaco. Consecratur episcopus kostromensis anno 1745, atque anno 1748 ad dignitatem archiepiscopalem evehitur in eparchia pscoviensi. Vitam absolvit anno 1754. De eius scriptis disserit scriptor. Anno 1741 latine concinnavit Rudimenta linguae graecae. Quattuor sermones ex codice bibliothecae academiae ecclesiasticae petropolitanae edit scriptor, eorumque auctoritatem in litteris explicat.

I. I. Sokolov. O povodaħ k razvodu v Vizantii v IX—XV vv. (De causis divortii apud Byzantinos saeculis IX—XV), 1909,

p. 1289—1311; 1420—1442; 1565—1580; 1910 p. 351—380; 960—982; 1136—1146; 1249—1263; 1369—1383; 1480—1505. Huius optima commentationis argumentum hisce verbis scriptor exponit: „His quae adumbravi ostendere nitor quomodo orthodoxa urbs byzantina in legibus dandis diiudicavit ac statuerit de causis divortii, et quomodo vivens usus historicus in singulis casibus statuta ecclesiastica et civilia de causis iisdem reiecerit. Insuper, cum pauci scriptores sive russi sive exteri qui hanc provinciam explorarunt limites saeculi IX haud excesserint, haec commentatio usque ad annum 1453 pertinet“. In explicanda quaestione praeclaram scientiam iuris byzantini scriptor exhibet.

A. I. Sadov. Znamenatel'nyja čisla (De numeris symbolicis), 1909, p. 1312—1331; 1443—1458; 1581—1594; 1910, p. 193 ad 213. Commentatio doctrinae plena, quae ditissima nititur cognitione librorum, imprimis germanicorum. Selectis locis et ethnicorum et christianorum scriptorum S. disserit de significatione symbolica numerorum 3 et 7.

N. N. Glubokovskij. Preosv. Evsevij Orlinskij, arħiepiskop Mogilevskij (De Eusebio Orlinskij, archiepiscopo Mohileviensi), 1909, p. 1332—1351; 1459—1482. Natus est hic episcopus in pago quodam Tulensis gubernii, die 21 decembris 1806; rector academiae ecclesiasticae petropolitanae fuit annis 1847 ad 1850. Res ab eo gestas narrat G. eas potissimum cum missionarius esset in Sibiria.

N. I. Petrov. Měry k uporjadočeniju prepodavanija Zakona božija (De modis adhibendis ad rite tradendam fidem christianam), 1909, p. 1352—1370. Anno 1909 Petropoli conventus habitus est magistrorum scholarum laicarum. Hic conventus M. Men'sikovio in ephemeride Novoe Vremja ansam dedit dolendi lapsum institutionis catecheticae puerorum, ac modos indicandi quibus ea revivisceret. Quid laude sit dignum vel censura in Men'sikovii sententiis scriptor exponit.

L. S. Macěvič. Dva pis'ma arħiepiskopa Smaragda Kryžanovskago k Aleksandru Ivanoviču Běljugovu (Duae epistolae archiepiscopi Smaragdi Kryžanovskii, quas Alexandro Ivanovičio Běljugovio misit), 1909, p. 1371—1373. Vita Běljugovi adumbratur, quae nihil continet mentione dignum. Epistolae conscriptae sunt annis 1824 et 1825.

P. N. Žukovič. Kobrinskij dogovor i torinskij sejm 1626 goda (De conventu torunensi et de tractatione Kobrinensi anni 1626), 1910, p. 14—35. Sigismundus III bis voluntatem enuntiavit convocandae ex viris unitis et orthodoxis synodi redintegrandae pacis ecclesiasticae causa. De hoc concilio et de negotiis ecclesiasticis agitatis in conventu torunensi scriptor exponit.

M. B. Ašihmin. Iesus Hristos, spasitel' mira, po bogoslužebnym knigam pravoslavnoj cerkvi (Quid de Iesu Christo, Salvatore mundi, e libris liturgicis Ecclesiae orthodoxae discamus), 1910, p. 43—60; 214—221; 380—387; 761—768; 1012 ad 1022; 1163—1173; 1294—1301; 1537—1545. *A.* in libris liturgicis peculiarem contineri ostendit theologiam dogmaticam, quae inprimis constet ex locis Sacrae Scripturae, vel ex verbis a Spiritu Sancto inspiratis, quatenus diversis modis sensum eiusdem Scripturae exhibeant. Haec theologia in manualibus theologiae dogmaticae vix attingitur. Ea de causa quidpiam determinatum inde conatur scriptor depromere. Non tamen omnes libros liturgicos perlegit. Christologiam eruit ex Triodio, Octoecho, Menologiis festorum, Missali, Horologio, Rituali, Euchologio sacerdotali. Scriptor sibi proposuit animos legentium impellere ad frequentiore liturgiae meditationem. Praecipue agitur de opere redemptionis. Primum ostendit homines e tenebris mortis et peccati sese liberare non potuisse, si Deus ipse dextram eis non porrexisset. Exponit promissionem Messiae ac prophetias quae de eo erant. De vita Iesu Christi in terris exponitur, ac deinceps de eius opere. De rebus ab eo praescriptis ut gratia divina in nobis fructum ferat, et praeparatio fiat ad alteram vitam sermo instituitur. De spe veri christiani denique disseritur. Sua sponte apparet hoc opus multa continere quae potius ad theologiam asceticam quam dogmaticam spectent.

A. A. Bronzov. Fal'sivyy katehizis (De pseudocatechismo), 1910, p. 72—97. Recte invehitur *B.* in opus Oliverii Lodge, *The substance of Faith*, Londini, 1907, quod in Russicum versum typis editum est Petropoli 1908. Dolet complures pastores protestantes libros edidisse, qui fidem christianam evertant.

Sergius B. Petrovskij. Preobraženskij katedral'nyj sobor — pamjatnik vėkvoj istorii Odessy (De aede cathedrali a Transfiguratione denominata — ut monumento historiae Odessensis unius saeculi), 1910, p. 98—104. *P.* exponit res contentas in opere quod hoc eodem titulo insignitum Odessae anno 1908 editum est ad lauream magistri consequendam. Haec ecclesia anno 1795 coepta est aedificari atque anno 1903 est absoluta.

N. N. Glubokovskij. Blagovėstie sv. apostola Pavla i grekorimskoe pravo (Evangelium S. Pauli apostoli cum iure graecoromano comparatur), 1910, p. 121—144; 591—614. *G.* veri simile esse existimat s. Paulum scientiam iuris habuisse. Quaedam ex elementis iuris romani invecta ab eo esse in dogmaticam christianam a quibusdam exegetis tenetur. Horum sententiae enucleantur atque examini subiciuntur. Re accuratissime tractata concludit scriptor notiones iuris romani haud esse fundamenta dogmaticae christianae. Suum ius peculiare sibi constituit religio chri-

stiana. Paulus Apostolus alienus a cultura ethnica et hellenica, eiusque evangelium ex ea non pendet.

P. N. Žukovič. Varšavskij sejm 1627 goda i ego značenie v istorii bor'by pravoslavnyh s uniej (De conventu varsoviensi anni 1627 eiusque momento in historia orthodoxorum cum unione certaminis), 1910, p. 173—192; 334—350; 675 ad 688. Quaedam hic exponuntur ad scholas Societatis Iesu in Polonia pertinentia; quaedam de rebus gestis inter catholicos et protestantes, inter orthodoxos et unitos.

P. S. Smirnov. Leksinskaja bezpopovščinskaja pustyn' v pervoe vremja eja suščestvovanija (De eremi sectae sacerdotes non habentium [bezpovocy] ad flumen Leksam prima aetate), 1910, p. 145—171; 310—332. Paucis narratur historia huius monasterii veteroritualistarum, quod moniales incolebant quae in rebus spiritualibus monasterio Vygeni subiectae erant, a quo illud distabat viginti milia passuum russicorum (verst). Varia exponuntur statuta monialium, et capita in quibus discrepabant a monasteriis virorum.

B. I. Cvětkov. Naše „ja“ v zagrobnom mirě (De mentis nostrae [nostri „ego“] vita, quae mortem subsequitur), 1910, p. 222—241. Haec commentatio biologicis studiis continetur. Agitur inter alia de necessitate phosphori ad vitam cerebri; de altero organismo post mortem; de libertate vitae spiritualis a physica etc.

D. Spíridonov. K polemikě Diodora Tarsskago s Apollinariem Laodikijskim (Quaedam de rebus inter Diodorum Tarsensem et Apollinarium Laodicenum controversis), 1910, p. 256—265. Ex variis Diodori et Apollinarii scriptis locos S. depromit atque in russicum convertit ad determinanda varia momenta controversiae quae inter eos exorta est de ss. Trinitate.

K. N. Faminskij. Spory ob upotreblenii Athanasieva simvola v bogosluženii anglikanskoj cerkvi (De usu symboli athanasiani in liturgia Ecclesiae anglicanae in controversiam vocato), 1910, p. 401—411. De usu symbolorum in liturgia anglicana exponitur: deinde de auctore symboli athanasiani, operibus anglicis, quae de hac re scripta sunt, indicatis. Conatus eorum exponit qui usum huius symboli ut spurii e liturgia tollere volunt, item eius defensionem per amicos traditionis apud Anglos.

A. I. Brilliantov. Professor Vasilij Vasil'evič Bolotov: biografičeskij očerk (De Basilio Vasil'evič Bolotov professore: vita viri docti adumbratur), 1910, p. 421—442; 563—590; 830 ad 854. Illustrissimi huius viri, qui natus est die 31 decembris 1853, mortuusque die 5 aprilis 1900 accuratam scribit vitam scriptor. In cunctis fere disciplinis sacris et linguis orientalibus eminebat Bolotov, eumque miris laudibus extulit Solov'ev. Utilis-

simam censemus hanc Brilliantovi commentationem quia accuratissimum continet elenchum operum et commentationum Bolotovi.

N. I. Sagarda. Drevne-cerkovnaja bogoslovskaja nauka na grečeskom vostokě v period rascvěta (IV—V vv.), eja glavnějšija napravlenija i ĥarakternyja osobennosti (Quae fuerit scientia theologica in antiquo Oriente graeco aetate qua floruerunt sacrae litterae, quibusque rebus praecipue opera data sit quaeque illius propria fuerint), 1910, p. 443—507. Genere dicendi oratorum proprio conscripta est haec commentatio. Definito generali scientiae theologicae saeculi IV—V habitu, pauca commemorantur de apologetis II saeculi, de S. Irenaeo, de Origene et schola alexandrina; copiosius de sancto Methodio olympio et schola antiochena exponitur. Deinde verba fiunt de mutatis condicionibus societatis, quae scientiae sacrae colendae intervenere. De praecipuis viris scholae alexandrinae, dico de S. Alexandro, S. Athanasio, S. Cyrillo, S. Amphilocho, Didymo, Apollinari quaeritur, ac de ipsius methodo exegetica. Quae propria erant theologiae scholae antiochenae atque Cyrilli Hierosolymitani, Marcelli Ancyrani, Epiphanii Cyprii definit. Recte tuetur scriptor theologiam non posse ad perfectiorem gradum evehi sine illa libertate doctrinae in vero investigando, cuius limites ab ipsius theologiae fontibus statuuntur; timor inquirendi in res theologicas levem aestimationem religionis vel veri credendi (fidei) gignit.

I. S. Pal'mov. Zakon o priĥodskom duĥovenstvě v Černogorii (Lex de clero parochiali in Monte Nigro), 1910, p. 508—526. Haec lex promulgata est die 31 augusti 1909. Eam in Russicum conversam affert Pal'mov ac discrepantias inter eam et leges antea annis 1900, 1901, 1903 datas indicat.

B. B. Bolotov. Zamětki o selě Kravotyňi (Quaedam de pago Kravotyňi), 1910, p. 527—540. In hoc pago gub. Tverensis natus est Bolotov.

P. B. Levitov. Tělo i ego sud'ba s ĥristianskoj točki zrěnija (Quid de corpore eiusque sorte doceat christiana religio), 1910, p. 541—551; 769—780. De corpore humano exponitur, ut origo hominis, vita animae, vita futura cum eo coniungitur. Statuitur vis verborum *σάρξ* et *σῶμα*.

B. Zykov. Smysl slov proroka Isaii: „Priloži im zla“. — Explicatur Isaiae versus 15 capitis XXVI.

P. S. Smirnov. Vygovskaja bezpopovščinskaja pustyn' v pervoe vremja eja suščestvovanija (De eremi Vygensis sectae sacerdotes non habentium (bezpovocy) prima aetate), 1910, p. 638—674; 910—934. Hic veteroritualistarum conventus initio saeculi XVIII ortus est suamque celebritatem acceptam

refert Andreae Denisovio. Huius vindicis schismatis russici doctrinam de fide, de Christi Ecclesia, de matrimonio exponit scriptor. Vitam eius fratris, Simeonis Denisovi, eiusque captivitatem ac fugam e carcere enarrat. Deinde de captivitate Danielis Vikulovi agit. Legatio synodalis hieromonachi Neophyti ad Vygenses raskolnicos describitur. Varias epistolae Andreae Denisovi excutiuntur.

A. I. Sadov. Latinskyj jazyk v ego istorii (Latinae linguae historia), 1910, p. 714—731. Paucis exponit S. historiam linguae latinae ab eius exordiis usque ad renatas litteras. Ad Russiam quod attinet dicit studium latinae linguae maxime a saeculo XVI una cum academia kioviensi tum instituta floruisse. Meminit usque ad primos annos saeculi XIX Compendia disciplinarum alumnis latine scripta esse. Recentes recenset editiones auctorum sermonis latini a Russis nostra aetate typis mandatas. Somnia dicit proposita eorum qui latina lingua utendum esse in commercio nationum volunt.

M. E. Posnov. O ličnosti Osnovatelja hristianskoj Cerkvi (De persona fundatoris Ecclesiae christianae), 1910, pag. 732—760; 983—999; 1384—1400; 1506—1524. Praeclara disputatio apologetica qua scriptor refellere nititur sententias de Iesu Christo eorum qui vel ratione humana facta illustrent et explicent vel ea ad fabulas (mythum) revocant. Breviter historiam rationalismi texit incipiens a vita Iesu Christi, quam Paulus anno 1828 Heidelbergae edidit. Huius vitae falsa exponit. Deinde opus Straussii de vita Iesu Christi diiudicat et condemnat. Deinceps opera refelluntur Renani, Reville. De Evangeliiis disseritur ut fontibus historicis. Quaedam adversus Harnackii „essentiam christianismi“ afferuntur.

A. A. Krasev. Episkop Porfirij Uspenskij (De Porphyrio Uspenskij episcopo), 1910, p. 781—789; 1174—1180; 1302—1311. Praeclarus hic episcopus, vir eruditione insignis, vita defunctus est die 19 aprilis 1885. Ipsius vitam et merita describit K., iis potissimum usus quae Uspenskij in memoria suae vitae (Kniga bytija mo ego) congressit.

D. Th. Stefanovič. O značenii Stoglava v istorii drevnerusskago cerkovnago prava (De momento concilii centum capitulorum in historia iuris ecclesiastici antiquae Russiae), 1910, pag. 790—797. Oratio pro thesi magistrali. Scriptor opus edidit, quod inscribitur: O Stoglavě: ego proišhoždenie, redakcii i sostav, Petropoli, 1909. Concilium centum capitulorum habitum est Mosquae anno 1551. In eius actis complura documenta veteris iuris canonici ad nos pervenerunt, quae alioquin periissent. De iis S. disserit.

B. A. Koževnikov. Buddizm v sravnenii s hristianstvom (De buddhismo cum christianismo comparato), 1910, p. 801

ad 829; 1061—1087; 1331—1353; 1429—1446. 1911 p. 23—37; 135 ad 147; 591—626. Commentatio mira referta eruditione. In praefatione scriptor necessarium esse comparari examinarique religiones tuetur ad defendendam fidem christianam. Deinde historiam litterariam scribit tentaminum decerpendi ex buddhismo nonnullas doctrinas christianas. Enarratur religionis buddhicae in Occidente propagatio, imprimis per theosophismum. De libris sacris buddhismi deinde disseritur, atque eorum doctrina exponitur.

N. N. Glubokovskij. Blagověstie sv. Apostola Pavla po proišoženiju i suščestvu (De evangelii S. Pauli Apostoli origine et essentia), 1910, p. 855—891; 1088—1103; 1203—1218. Pulcherrima et doctrinae plena commentatio, qua christianam et propriam esse doctrinam S. Pauli ostenditur. Nullo modo S. Paulum in sua ratione theologica pendere e iudaismo vel paganismo efficitur. Fundamentum eius doctrinae non est aliud nisi revelatio christiana et, ut aiebat S. Hieronymus, ipse doctor gentium, magister Ecclesiae, et quidquid statuerit, hoc Christi in eo loquentis legem putemus.

P. N. Žukovič. Varšavskij sejm 1628 goda i krušenje unional'nyh planov Meletija Smotrickago (De conventu varsoviensi anni 1628 et de consiliis quae de unione efficienda Meletius Smotrickij frustra proposuit), 1910, p. 935—959. De synodo kioviensi anni 1628 ac de variis scriptis Meletii ad unionis necessitatem pertinentibus agitur. Scriptor Meletium ait ut hypocritam sese gessisse.

G. I. Šavel'skij. Poslědnee vozsoedinenie s pravoslavnoju cerkov'ju uniatov bělorusskoj eparhii (De postrema unitorum Albae Russiae cum Ecclesia orthodoxa reconciliatione), 1910, p. 1023—1031. Oratio pro laurea magistrali consequenda habita. Scriptor unionem duo sibi proposuisse defendit: et Russos Ecclesiae catholicae adscribere et exuere eos russicae nationis proprietate ex eisque Polonos efficere. De Iosepho Sěmaško et violenta unitorum ad Ecclesiam orthodoxam conversione disserit.

P. N. Žukovič. Voprosy o primirenii pravoslavnyh s uniatami na Varšavskom sejmě 1629 g. (Quaestiones de reconciliandis unitis et orthodoxis in conventu varsoviensi anni 1629 tractatae), 1910, p. 1122—1135; 1233—1248. Agitur de proposito conventus convocandi concilium ex episcopis orthodoxis et unitis ut simul de pace statuenda agerent. Ante hoc concilium habenda erant concilia particularia unitorum et orthodoxorum. Hoc tamen propositum ad effectum perductum non est.

A. I. Sadov. Professor Evgraf Ivanovič Lovjagin (De Eugrapho Ivanovič Lovjagin professore), 1910, p. 1147—1162. Vita defunctus est die 27 martii 1909. Vitam scribit S. eiusque scripta recenset. Multa edidit liturgica, historica, apologetica.

Complura in Russicum convertit inter quae commemorandum est primum operum S. Ioannis Chrysostomi volumen.

M. I. Orlov. Hitopadeša: poleznoe nastavlenie (Hitopadeša: exhortatio utilis), 1910, p. 1218—1232; 1354—1368; 1462 ad 1479; 1911 p. 148—167; 491—510; 1024—1049; 1468—1487; 1912, p. 247—267. Hitopadeša antiquissimum et notissimum specimen est litteraturae indicae. Utilis est eius cognitio theologis, quia etiam biblia nonnullos continent libros didacticos. De scriptore, aetate, exemplo primo, versionibus huius operis *O.* disserit. Ad id vertendum in Russicum editionibus utitur Schlegel, Bonnae, 1829, et Peterson, Bombay, 1887.

P. S. Smirnov. Prof. Ivan Theodorovič Nil'skij (De Ioanne Theodorovič Nil'skij professore), 1910, p. 1264—1282. Enarratur vita huius professoris academiae ecclesiasticae petropolitanae (1831—1894) qui multa scripsit, imprimis in Hristianskoe Čtenie de raskolnicorum sectis.

B. I. Cvětkov. Estestvo-naučnyj zakon sohraneniya energii v priměnenii k zaščitě religioznoj istiny bez smertija čelověčeskoj duši (Lex disciplinarum ad naturam rerum pertinentium de conservatione energiae adhibita ad defendendam animae humanae immortalitatem quae fide creditur), 1910, p. 1401—1411; 1525—1536. C. primum ostendit non repugnare inter se quae credantur et quae sciantur. Deinde veram vim axiomatis quo negatur sine materia esse vim perpendit. Ad philosophiam naturalem atque experimentalem pertinet commentatio.

A. P. Mal'cev. O slědah prizyvanija Sv. Duha v molitvě rimskoj liturgii (De vestigiis epicleseos Spiritus Sancti in prece liturgiae romanae: Iube haec perferri), 1910, p. 1412—1428. Disputatio lecta in II conventu Velehradensi anno 1909.

K. I. Molebnyja pěnija o umireanii Sv. Cerkvi i o soedinenii pravoslavnoj Cerkvi (De precibus liturgicis ad pacem Ecclesiae et unionem ecclesiae orthodoxae impetrandam factis), 1910, p. 1544—1548. Disseritur de tribus opusculis Mosquae editis anno 1688. Unum ex eis preces continet, quas scriptor editas esse existimat libertatis orthodoxorum in Polonia degentium a iugo polonico impetrandae causa; item libertatis orthodoxorum imperio turcico subiectorum; denique pacis Russicae Ecclesiae.

D. A. Hvol'son. Vozraženie protiv ložnago mněnija, budto Iisus Hristos v dějstviteľnosti ne žil (Contra falsam sententiam eorum qui Iesum Christum vere extitisse non opinantur), 1911, p. 3—22. *H.* monistas refellit ac maxime Drews. Evangelia pro fontibus historicis fide dignissimis habet. Auctoritate Iosephi Flavi explicat aequales Christi de eo altum tenuisse silentium.

P. S. Smirnov. Spory v raskolě vo vtoroj četverti XVIII věka (De controversiis, quae apud raskolnicos inter annos 1725 et 1750 viguerunt), 1911, p. 50—72; 169—196; 325—354; 451 ad 490. Theologia rascolnicorum summa explanatur doctrina. Eorum de antichristo, de sacerdotio, de sacramentis, de Ecclesia, de rebus liturgicis sententiae ex eorumdem monumentis litterariis enucleantur.

P. N. Žukovič. Kievskij sobor 1629 goda po novym materialam (Concilium kioviense anni 1629 novis documentis illustratur), 1911, p. 74—92; 355—369. Utilis commentatio ad historiam Ecclesiae ruthenicae unitae cognoscendam. Die 29 martii 1629 Sigismundus III metropolitae Iob Boreckio scripserat, ut synodum convocaret orthodoxam ad negotia discutienda in concilio, quod brevi et unitos et orthodoxos esset congregaturum. Historiam huius concilii Ž. ex novo narrat documento quod conservatur in archivis metropolitaram unitorum, quae nunc inserta sunt archivis petropolitans Ssmae Synodi. Relatio de hoc concilio polonice scripta: Jako partykularny kiiowsky synod, 9 iulii zaczyty w Kiowie, 12 iulij rozerwał się — opus est Adami Kisselii, qui in eodem concilio munere commissarii regii perfunctus est.

S. A. Sollertinskij. Pamjati o Ioanna Leont'eviča Janyševa (In memoriam Ioannis Leont'evič Janyšev). Panegyricus verbosus.

G. B. Prochorov. Tvorenija sv. Amvrosija Mediolanskago i ih hronologija (De s. Ambrosii Mediolanensis operibus eorumque chronologia), 1911, p. 102—116; 252—261. Accurate suam P. explorat provinciam. Chronologice opera S. Ambrosii ita distribuit: De excessu fratris sui Satyri, a. 375; De Virginibus, a. 377; De Viduis, a. 377; De virginitate, a. 378; De paradiso, a. 376—378; De Cain et Abel, a. 376—378; De Noe et arca, a. 378; De fide, a. 378—380; De incarnationis dominicae sacramento, a. 380; De Spiritu Sancto, a. 381; De Abraham, a. 381—384; Apologia prophetae David, a. 384—385; Sermo contra Auxentium, a. 386; Expositio Evangelii secundum Lucam, a. 385—387; De paenitentia, a. 386—390; Enarratio in ps. I, post a. 387; Expositio in ps. CXVIII, a. 388—389; De interpellatione Iob, post a. 388; Enarr. in pss. 45—61, post a. 388; Exaameron, ad a. 389; De Isaac, De bono mortis, De Iacob, De Ioseph, De Patriarchis, a. 389—390; De mysteriis, ad a. 390; De officiis ministrorum, a. 390—391; De Helia, De Tobia, De Nabutha, post a. 390; De fuga saeculi, a. 391; De institutione virginis, a. 391—392; De obitu Valentiniani, a. 392; Exhortatio virginitatis, a. 393; Enarr. in pss. 35—40, post a. 394; De obitu Theodosii, ad a. 395; Enarr. in ps. 43, a. 397.

N. Glubokovskij. Pis'ma Smaragda Kryžanovskago arhiepiskopa Rjazanskago k Pelageě Vasil'evně

Š e n š i n o j (De epistulis Smaragdi Kryžanovskii, archiepiscopi Rjazanensis, anno 1863 vita defuncti missis ad Pelagiam Vasil'evnam Senšinam), 1911, p. 117—133. Vitam G. breviter enarrat huius Pelagiae (1817—1881) et quaedam explicat, quae in litteris ei missis occurrunt.

Sergius (episcopus), *Missionerskija radosti* (De gaudiis praeconis fidei inter gentes munus gerentis), 1911, p. 197 ad 212; 718—733. Describitur iter ad civitates iaponenses Maebasi ac Tagasaki, ac status orthodoxorum eas incolentium.

A. I. Sadov. Prof. Nikandr Ivanovič Gloriantov (De Nicandro Ioannovič Gloriantov professore), 1911, p. 213—228. Natus die 3 iulii 1828 in pago Saldamanova gub. Novogrodiensis professor fuit in academia ecclesiastica petropolitana. Mortuus est die 7 ianuarii 1898. Disciplinas naturales calluit. Anno 1861 opus edidit quo exponebat, quid de origine mundi doceret geologia et quid de eius historia revelatio. Quaedam etiam scripsit de origine et procreatione mundi a romanis poëtis descripta.

I. P. Sokolov. Protopr. I. L. Janyšev, kak dējatel' postarokatoličeskomu voprosu (De I. L. Janyševi, protopresbyteri, conatibus solvendi quaestionem veterocatholicam), 1911, p. 229—251. Commentatio documentis innixa. Janyšev vehementer incumbebat ad foedus inter Ecclesiam orthodoxam ac veteres catholicos pangendum multaque de hac re scripsit. De actis et scriptis Janyševi scriptor exponit, imprimis de eius partibus in conventibus bonnensibus.

G. S. Rybakov. Vospominanija o S.-Peterburgskoj duhovnoj Akademii (Quaedam de Academia ecclesiastica Petropolitana e memoria hauriuntur) 1911 p. 262—271. Quaedam exponuntur de rebus huius academiae annis 1855—1859 gestis.

E. P. Akvilonov. Čti otca tvoego i mater' tvoju (Honora patrem tuum et matrem tuam), 1911, p. 273—308; 405—435. Quintum praeceptum Decalogi copiose et fuse explicatur. Scriptor omnia profert quae scit, etiam ex Sinensium philosophia. Incipit a definitione conscientiae, ab origine supernaturali legis moralis, a praecepto caritatis erga proximum. Rationes deinde explicat quae inter quintum praeceptum et cetera praecepta Decalogi intercedunt, et necessitudinem inter filios et parentes. Officia parentum enumerat atque explicat, et complura ad familiam pertinentia illustrat.

A. A. Bronzov. Dumy inoka (Cogitationes monachi), 1911, p. 370—379. De monachis agit qui in ephemeridibus collapsam in monasteriis disciplinam dolent ac morum emendationem flagitant.

N. N. Glubokovskij. Pis'ma arħiep. Smaragda Kryžanovskogo k arħimandritu Ierotheju Dobrickomu (Smaragdi Kryžanovskii archiepiscopi ad Ierotheum Dobrickium.

archimandritam epistulae), 1911, p. 380—397; 753—774; 964—986; 1130—1151; 1238—1253; 1358—1370; 1498—1506. Ierotheus archim. natus anno 1808, vita defunctus est die 30 nov. 1882. Scripsit de monasteriis eparchiae Orelensis.

I. E. Evsëev. Rukopisnoe predanie slavjanskoj biblii (Quemadmodum biblia slavica per codices manu scriptos tradita sint.), 1911, p. 436—450; 644—660. Magni momenti commentatio. Dolet scriptor biblia palaeoslavica, etsi ante mille annos exarata sint, nondum arte critica edita esse. Scriptores profani in iis nihil quaerunt nisi documenta historica philologiae slavicae. Scriptores vero ecclesiastici ad suas investigationes non solent adhibere nisi verba ipsius auctoris sacri hebraica et graeca, nullum emolumentum ex tam recenti interpretatione sese capturos existimantes. Ita factum est, ut nemo ederet biblia slavica, etsi ea critice edi docti exegetae, ut Michael, vehementer optassent. In praesens academia disciplinarum Goettingensis edere critice versionem Septuaginta interpretum sibi proponit. Ut ea editio numeris omnibus absoluta evadat, cognoscendae et edendae sunt veteres versiones coptica, aethiopica, germanica, georgiana, slavica. Officium colligendi quae ad biblia slavica pertinent eadem academia Evsëevio commisit. Labor ingens est, quia 4101 codices bibliorum slavicornum a saeculo XI usque ad saeculum XVII scripti in bibliothecis reperiuntur. De generibus horum codicum exponit scriptor. Ominatur rursos theologos atque academiam ecclesiasticam petropolitanam hunc ingentem laborem esse suscepturos.

B. G. Solomin. Žestokost' Solomona i eja motivy (De Salomonis crudelitate eiusque causis), 1911, p. 511—539. Aut Salomon rex existimatur qui sceptro potitus sit per violentiam et fraudes, et humano modo explicatur eius crudelitas, aut habetur electus a Deo, et quae crudeliter fecit ad iustitiae divinae iudicia revocantur. Ut haec aegre concilianda expediantur scriptor historiam regni Salomonis narrat. Iudicat crudelitatem Salomonis legitimam iustamque fuisse ob crimina eius adversariorum: reprehendendus igitur non est Salomon. Quae crudelitas sane nobis ingrata est: sed ratio temporis habenda est, et considerandum nos nunc lumine divinae revelationis illustratos vivere.

A. B. Petrov. Učitel'noe izvēstie pri slavjanskom služebnikě (De iis quae ad instituendos sacra facientes adiuncta sunt missali slavico), 1911, p. 552—572; 917—936. In editione missalis slavici anni 1699 primum occurrit eiusmodi appendix, qua presbyter et diaconus instituuntur de modo divina absolvendi officia, et erroribus evitandis. Compendium eius est in missali slavico Vilnae edito anno 1617. Historiam huius documenti ac variarum eius formarum *P.* scribit.

I. A. Karabinov. K istorii ispravlenija postnoj Triodi pri patriarhě Nikoně (Quaedam historiam corrigendi Triodii

quadragesimalis patriarcha Nicone regnante illustrantia), 1911, p. 627—643. In commentatione *Postnaja Triod'*, ed. Petropoli, *Hrist. Čt.* 1910, pag. 236—242 scriptor ostendit in edendo triodio anno 1656 emendandi causa exemplar graecum eius libri adhibitum esse: verum verba slavica deprompta esse ex slavice editionibus triodii anni 1627 vel 1640 (Kioviae). Praecipuus corrigendi auctor Epiphanius Slavineckij fuit. Postquam hoc opus Karabinovi editum est, contigit ei, ut vetus inveniret exemplar Triodii quo usi sunt correctores niconiani. Qui codex in bibliotheca typographiae synodalis mosquensis latebat. De eo codice exponit scriptor efficitque ex eo vera fuisse quae coniecisset.

P. N. Žukovič. *L'vovskij sobor 1629 goda v svjazi s političeskimi obstojatel'stvami vremeni* (De concilio leopolitano anni 1629 deque condicione politica illius aetatis ad id pertinente), 1911, p. 661—684. Utilis commentatio ad historiam Ecclesiae unitae et litterarum polemicarum cognoscendam. Synodus ex catholicis et unitis congregata est die 28 octobris 1629. Rogatu Pruhnickii archiepiscopi uniti praepositus provincialis S. I. Matthaeum Bembum, et Matthaeum Szawinski ad Synodum misit ut oratores. Oratio inauguralis Bembi edita est hoc titulo ornata: *Wżywanie go jedności Katholickiey narodu ruskiego religiey graeckiej z kosciolem rzymskim, Cracoviae, 1629. De controversiis in hac synodo agitatis exponitur.*

P. S. Smirnov. *Učenie o russkom raskolě v duhovnyh seminarijah* (De rebus schismatis russici cognoscendis in seminariis ecclesiasticis), 1911, p. 685—702. De necessitate ac methodo horum studiorum S. exponit. Pervestigandae sunt res gestae quae schisma illustrent: historia exploranda et partis sacerdotibus instructae (popovcy), et partis iis carentis (bezpovovcy): leges cognoscendae ab imperio datae ad schisma illud convellendum: historia edinověrija aut Ecclesiae raskolnicae, quae adhaesit Ecclesiae orthodoxae russicae, inquirenda.

A. A. Bronzov. *Protiv socializma* (Contra socialismum), 1911, p. 703—717. Multa recensentur et aestimantur opera quae a Russis edita sunt ad decreta socialismi evertenda.

I. P. Sokolov. *Materialy k istorii starokatoličeskago voprosa v Rossii* (Documenta ad historiam quaestionis veterocatholicae in Russia pertinentia), 1911, p. 742—752; 1336—1357. Epistulae maximi momenti eduntur Janyševi et Kirěevi. Complura in iis ad quaestionem infallibilitatis romani pontificis pertinent. Adnotationibus doctrinae plenis litterae editae instructae sunt.

P. N. Žukovič. *Religioznocerkovnyj element v kazackom vozstanii 1630 goda* (De causa religionis et ecclesiae in seditione kozacorum anno 1630 facta), 1911, p. 777—802; 987—1007. Testimoniis historicis Ž. ostendit kozacos adversus Po-

lonos tumultum fecisse propter Ecclesiae orthodoxae vexationem, et iniurias ab unitis sibi illatas.

I. I. Sokolov. Izbranie aleksandrijskih patriarhov v XVIII i XIX stolětijaḥ (De patriarcharum alexandrinorum saeculis XVIII et XIX creatione), 1911, p. 803—830; 1109—1129; 1255—1271; 1336—1357; 1507—1518. Scriptor ait ob inopiam fontium historicorum neglectam esse historiam patriarchatus alexandrini. Ex graecis documentis historiam Ecclesiae Alexandrinae ab anno 1710, quo Patriarcha creatus est Samuel I Kapasuli (1710—1723) usque ad finem saeculi XIX enarrare conatur. Accurata commentatio historica.

D. A. Lebedev. Antioḥijskij sobor 324 goda i ego poslanie k Aleksandru episkopu Thessaloniskomu (De concilio antiocheno anni 324 eiusque ad Alexandrum episcopum Thessalonicensem epistula), 1911, p. 831—858; 1008—1023. De epistula concilii antiocheni ad Alexandrum episcopum, quam typis primum edidit ex codice syriaco parisino Eduardus Schwartz, exponitur, ac de altero documento syriaco edito anno 1857 a Cowper, et anno 1883 a Martin, in quo agitur de concilio ancyrano quod post concilium antiochenum erat convocandum. Hoc tamen concilium locum non habuit Ancyrae, sed Nicaeae. Subtilibus argumentis ostenditur utrumque documentum verum esse. Ex eis colligitur, cur pauci episcopi occidentales concilio interfuerint: Patres enim orientales orientale tantum concilium cogere nitebantur. Epistula ad Alexandrum documento quoque est, condemnationem Arii decretam iam ante concilium nicaenum fuisse. Falsa videtur esse Schwartzii sententia, qui concilium convocatum esse ad episcopum antiochenum creandum existimat.

N. B. Lilëev. Iosif Flavij, kak ḥristianskij cerkovnyj pisatel' (De Iosepho Flavio, ut scriptore christiano ecclesiastico), 1911, p. 879—900; 1050—1078. Scriptor celeberrimos locos Flavii in quibus de S. Ioanne Baptista et de Iesu Christo exponitur examini critico subicit. Concludit: „Examen criticum locorum aperte docet eos e penu Iosephi Flavii profluxisse: prout tamen nunc leguntur a viro pharisaeo et iudaeo conscripti non sunt: sequitur christianum quendam eos correxisse et emendavisse“. Admissa interpolatione, reprehenditur ignotus interpolator. Hac tamen re non infirmatur auctoritas loci ad fidem christianam defendendam. Non possumus existimare Iosephum Flavium christianum fuisse, et integrum locum vere eius esse, quia Iosephus Flavius in eodem opere de semetipso ait decretis pharisaeorum se suffragari.

P. B. Levitov. Iz kursa ḥristianskago nravstvennago bogoslovija (Ex cursu theologiae moralis christianae), 1911, pag. 901—916; 1190—1205. Initio scriptor quid divina revelatione de statu hominis lapsi discamus exponit. Statuit deinde libertatem

fundamentum esse honesti; scribit de lege morali naturali eiusque indole. Definita natura et officio conscientiae, quaerit de lege morali revelata, de rationibus inter Vetus et Novum Testamentum; de praestantia Novi Testamenti, de perfecta indole legis evangelicae.

A. I. Brilliantov. Prof. Ivan Vasil'evič Čel'cov (De Ioanne Vasil'evič Čel'cov professore), 1911, p. 1222—1238; 1272 ad 1293; 1410—1425. Professor historiae generalis Ecclesiae (1857), deinde historiae veteris Ecclesiae et biblicae, Čel'cov natus erat die 28 augusti anno 1828; vita defunctus est anno 1878; Inter eius scripta mentione digna sunt: historia Ecclesiae christiana, Petropoli, 1861; de antiquis symboli fidei Ecclesiae orthodoxae formis, Petropoli, 1869. De eius vita et scriptis *B.* exponit.

A. P. D'jakonov. Kir Batinskij, sirijskij cerkovnyj istorik VII věka (De Cyro Batnensi rerum ecclesiae scriptore syro saeculi VII), 1911, p. 1294—1320; 1450—1467; 1912, p. 88—117. Hic rerum scriptor historiam ecclesiasticam maximi momenti reliquit, quia facta sine ira et studio enarravit; et vixit scripsitque in orientalibus regionibus haud satis cognitis a graecis scriptoribus. Eius tamen opere unus est usus Michael syrus, cuius Chronica ad nos pervenerunt. Haec fragmenta *D.* definire ac determinare conatur. Quae hauriri inde possunt de Cyro et de eius historia colligit.

M. I. Orlov. Kak inogda prověrajut izdannyyj tekst (Quomodo interdum examinetur diligentia in libro antiquo edendo), 1321—1335. Prof. Orlov anno 1909 ediderat Petropoli praeclarum opus de liturgia S. Basilii. Nimis severam huius operis aestimationem scripsit Alexander Dmitrievskij. Suam editionem liturgiae s. Basilii tuetur scriptor, imprimis philologie.

P. N. Žukovič. K istorii raspoljačeniya rimskokatoličeskogo kostela v Bělorussii (Quaedam ad historiam auctoritatis Polonorum in Ecclesia romano-catholica in Alba Russia pertinentia), 1911, p. 1488—1497. Agitur de opere amplissimo (1435 pag.)

A. B. Žirkevič. Biografija kanonika Senčikovskago, Vilnae, 1911. Ferdinandus Senčikovskij canonicus, natus die 4 oct. 1837, in gubernio Minscensi, anno 1869 in ecclesia parochiali Blońskiensi primam orationem russicam habuit ad populum. De certaminibus cum Polonis ob hanc rei novitatem scriptor narrat.

A. Bronzov. Sovremennyj antihrisť (De Antichristo huius aetatis), 1912, p. 3—46; 137—156. Antichristum hodiernum *B.* Ernestum Haeckelium appellat. In exordio suae commentationis libros praecipuorum ducum rationalismi germanici et gallici in Russicum versos accurate commemorat, item scriptores russicos,

qui viam illorum ingressi, fidem christianam fucati nominis scientia convellere nituntur. Deinde operum Haeckelii in Russicum conversorum mentionem facit atque opera germanica, quibus de monismo haeckeliano disputatur, recenset. Scriptor sibi non proponit ea quae Haeckel praepropere negavit examini subicere atque probare: abstinet etiam a defendenda ab eo doctrina morali catholica. Propositum eius est quaestiones morales discutere, in quibus Haeckelius religionem christianam felicitati humanae consulere negat. Quaerit igitur num re vera fides christiana neget iura humana ad ea quae corpus poscat; ad vitam naturae convenientem; ad cultus humanitatisque commoda; ad familiam; ad mulierem. Utilis commentatio, imprimis quia scriptor opera scriptorum apologeticorum Ecclesiae russicae frequenter affert.

N. N. Glubokovskij. Vysokopreosv. Smaragd Kryžanovskij, arĥiepiskop Rjazanskij i Zarajskij (Reverendissimus Smaragdus Kryžanovskij, archiepiscopus rjazanensis et zarajensis), 1912, p. 47—71; 180—224; 295—329; 431—462; 546 ad 575; 653—673; 791—820; 933—953; 1063—1081. Accuratissime scribitur vita huius episcopi, in parva Russia nati anno 1796; qui mortuus est anno 1868. Propter ea quae scriptor eruditissimus rerum explicandarum causa addit maximi momenti est eius commentatio ad historiam Ecclesiae russicae saeculi XIX cognoscendam.

P. N. Žukovič. Pravoslavno-cerkovnyj vopros na predposlědnem sejmě carstvovanija Sigizmunda III (De re orthodoxa ecclesiastica in procerum conventu, qui paenultimus regnante Sigismundo III habitus est, tractata), 1912, p. 72—87; 225—246. Agitur de conventu varsoviensi anni 1630; de capitibus in eo discussis, quae ad resistentes patriae religioni pertinebant, sive protestantes, sive orthodoxos; de iis qui fidem Ecclesiae orthodoxae tuiti in conventu, ut leges sancirentur quibus ii humanius tractarentur postularunt.

I. P. Sokolov. Pis'ma A. A. Kirěeva k vysokopreosv. arĥiepiskopu varšavskomu Nikolaju Ziorovu (A. A. Kirěevi ad reverendissimum archiepiscopum Nicolaum Ziorovium epistulae) 1912, p. 118—126. Pauca in iis reperiuntur de synodo; de viris qui ad synodum pertinebant; de populi russici pietate ac religione etc.

A. I. Sadov. Latinskij jazyk v bogosluženii drevnej zapadnoj cerkvi (De linguae latinae in liturgia antiquae Ecclesiae occidentalis usu), 1912, p. 157—179. De libertate ab apostolis concessa utendi sermone nationis proprio in liturgia christiana primum exponitur. Inquiritur deinde, utrum latina an graeca lingua usi sint in liturgia Romae primis saeculis Ecclesiae. De liturgia latina apud Afros denique scribit.

E. P. Akvilonov. Bez smertie (Immortalitas), 1912, p. 269 ad 294; 403—430; 576—588. Oratorum dicendi modo argumenta ex doctrina, philosophia, religione hausta, quibus immortalitas animae fulcitur, A. exponit. Commentatio ita conscripta est, ut a laicis non sine utilitate legi possit.

A. A. Bronzov. Drug ili vrag Hristov — Tolstoj (Amicus ne sit an inimicus Christi Tolstoj), 1912, p. 330—349; 463—482. Laudatores Tolstoj verum christianum ipsum fuisse tuentur; a Iesu Christi odio eum alienum fuisse; quapropter immerito ab Ecclesia orthodoxa gravi cum scandalo Russorum eiectionem esse. Bronzov inquit num huiusmodi opiniones cum veritate convenient. Monet primum quaslibet societates suis obstringi legibus, quo fiat ut qui has leges transgrediantur societatis ad quam pertinebant esse desinant. Quodsi constet Tolstojum leges et dogmata Ecclesiae orthodoxae contempsisse ac reiecisse, frustra afferri Ecclesiam iure caruisse eum a se repellendi. Haec praefatus scriptor doctrinam Tolstoj cum doctrina in symbolo fidei contenta comparat, atque excerptis ex tolstoianis scriptis docet dogmata fidei christianae, imprimis Ssmae Trinitatis mysterium, ab eo negata esse. Bronzovi commentatio specimen est dogmaticae tolstoianae. Scriptoris sententia Tolstoj illa reicit quibus fit ut christianus vere profiteatur religionem christianam. Quae cum ita sint Tolstoj pro eo ut sit amicus Christi, Antichristi nomine dignus est.

A. I. Brilliantov. Rěč v toržestvennom zasėdanii s.-peterburgskoj duhovnoj akademii po slučaju otkrytija bjusta prof. Vasil'eviča Bolotova (Oratio in sollemni sessione academiae ecclesiasticae petropolitanae habita cum prof. Basilii Vasil'evičii Bolotovi effigies revelaretur), 1912, p. 350—359. Paucis vitam enarrat orator Bolotovi viri illustrissimi, et quae de eo scripta sunt commemorat. Maxime eius in provincia historiae ecclesiasticae merita exponit.

I. A. Karabinov. K istorii ierusalimskago ustava (Quaedam ad historiam typici hierosolymitani pertinentia), 1912, p. 360 ad 382; 483—494. Typicon ecclesiasticum quo hoc tempore Russi utuntur, rubricarum liturgiae hierosolymitanae et liturgiae constantinopolitanae coniunctione ortum est. Prior ei dedit florilegium lectionum evangelicarum: posterior ea, quae in maiore hebdomade leguntur. Florilegium liturgiae hierosolymitanae antiquissimae originis est, atque excerpta ex evangeliiis pulcherrime selecta sunt. Quae igitur de huiusmodi florilegio eruuntur, studiosos historiae typici hierosolymitani, et generatim liturgiae hierosolymitanae iuvant. Cautè scriptor historiam huius florilegii pervestigat, documentis iis potissimum innixus quae a viris doctis Kekelidze, Marr, Dmitrievskij edita sunt.

B. A. Běljaev. Filosofija Rudol'fa Ejkena (De Rudolphi Eucken philosophia), 1912, p. 383—399; 495—515; 698—716;

845—865. Primum quae de Euckeni philosophia scripta sunt scriptor copiose collecta recenset. Eum philosophum copiosum, clarissimum, suum, syncretistam esse existimat. Eucken oppositas inter se conciliare mentis rationes, atque diversas actionum humanarum causas propositas conatur studiose. Philosophus est vere nostrae aetatis. Gradus et aetates statuit, aversionem profitetur ab immutabili natura, magnopere fidit cultui atque humanitati. Tamen fundamenta vitae spiritualis ratus cogitari non posse sine honesto, religione, vita sociali etc. philosophiam christianam ipse est meditatus; quin ratio eius philosophica accommodatio est philosophiae christianae ad ea quae haec aetas de universo sentit. Hanc sententiam examine Euckeni decretorum demonstrat scriptor.

P. N. Žukovič. Poslědnyj pol'skij sejm v carstvovanie Sigizmunda III (De conventu polonico qui Sigismundo III regnante postremus habitus est), 1912, p. 517—545. Maxime de rebus politicis polonicis hic agitur. Quaedam tamen attinguntur ad historiam ecclesiasticam metropoleos kioviensis spectantia, inprimis ad metropolitas Iobum Boreckium, et Esaiam Kopinskium.

I. E. Evsëev. Vysšaja duhovnaja škola i duhovnoe tvorčestvo (Supremae scholae ecclesiasticae quid conferendum sit ad educationem ecclesiasticam), 1912, p. 589—600. Ostendit scholarum superiorum ecclesiasticarum esse iuvare sive litteraturam sacram, sive ministerium apostolicum.

S. M. Zarine. Nedavno otkrytyj apokrifičeskij pamjatnik Pěsni Solomona i popytka A. Harnack'a privleč' ego k voprosu o proišoždenii četvertago kanoničeskago evangelija (De monumento apocrypho Ἰουδαὶ Σολομῶντος nuper invento, ab A. Harnackio ad illustrandam originem quarti evangelii canonici adhibito), 1912, p. 601—626. Historiam litterariam huius monumenti anno 1906 inventi, atque anno 1909 in lucem editi scriptor narrat. Harnackio iudaicum videtur esse, origine tamen omnia elementa theologica evangelii sancti Ioannis ibi continentur. Eleganter docet scriptor hanc sententiam non consentire cum veritate nullamque intercedere cognationem inter illas odas et Evangelium S. Ioannis.

A. P. Lebedev. Konstantin Velikij, pervyj hristianskij imperator (De Constantino Magno, primo imperatore christiano), 1912, p. 674—697; 821—844. Vitam imperatoris enarrat, qui sibi spiritum christianum in compaginem politicam sui imperii infundere proposuit. Illud praecipue nititur scriptor Constantinum revera christiane sese gessisse in administrando imperio. Saepe utitur occasione refellendi opusculi A. A. Spasskii, professoris academiae ecclesiasticae mosquensis: *Obraščenie Konstantina Velikago v hristianstvo* (De Constantini Magni ad cultum christianum conversione), Sergiev Pos., 1905. Narrationum et do-

cumentorum, quae in vita eusebiana Constantini continentur, auctoritatem tuetur.

I. I. Čalenka. Osnovnyja čerty moral'no-psihologičeskago tipa hristianina po novo zavětnomu učeniju (De praecipuis moralis et psychologicae speciei hominis christiani lineamentis quid contineatur in Novo Testamento), 1912, p. 717—741; 866—891; 1003—1023. Disputatio philosophico-moralis. Inquit scriptor quatenus ethica christiana sit christianorum propria nec aliunde repetenda et quanti momenti sit in historia progressus spiritualis et moralis generis humani.

E. G. Demoničeskija bolězni (De morbis daemonicis), 1912 p. 774—790. De obsessionibus disserit. Varios commemorat casus obsessionis, de quibus in evangelio mentio fit. Non iudicat obsessionem esse morbum humanum aut superstitionem. Factum historicum obsessionum negari non potest, licet perdifficile sit id exponere.

S. N. Vvedenskij. K biografii mitrop. Stefana Javorskago (Quaedam ad Stephani Javorskii vitam pertinentia), 1912, p. 892—919. V. scribit primum de Javorskio metropolita rjaznensi creato, et deinde de opere ignoto ipsius, quod inscribitur: Exhortatio ad Gregorium Vasil'ev Talickium.

A. A. Bronzov, Raj na zemlě (De paradiso in terra), 1912, p. 954—977. B. describit iter suum ad celebre Balaami monasterium in lacu Ladogensi situm, atque imprimis de pietate monachorum exponit.

G. B. Prohorov, Individualizm v proizvedenijah Leonida Andreeva (De individualismo in scriptis Leonidae Andreevi), 1912, p. 978—1002. Examine fabularum huius pessimi si morum ratio habetur scriptoris russici, instituto demonstrat ipsius individualismum quamlibet auctoritatem aversari, ideoque perniciosum esse ordini humanae societatis.

I. I. Bogojavlenskij. Zakon o městě evrejskago bogosluženija v vethom zavětě (Quid de loco liturgiae hebraicae in vetere Testamento praeceptum fuerit), 1912, p. 1024—1044; 1110—1138. Varios locos Sacrae Scripturae B. affert, quibus ubi oranorum sit praecipitur. A lege mosaica usque ad eversum a Romanis templum hierosolymitanum historiam cultus hebraeorum persequitur.

N. Sagarda. Sirijskoe žitie sv. Grigorija Čudotvorca (Vita syriaca S. Gregorii Thaumaturgi), 1912, p. 1139—1157. Nihil est nisi Vita S. Gregorii Thaumaturgi edita a V. Rysselio, in Theologische Zeitschrift aus der Schweiz, Tiguri, 1894, t. XI, p. 241—254 in Russicum conversa.

I. B. Prohorov. Rěč' pred zaščitoj magisterskoj dissertaciji: Nravstvennoe učenie sv. Āmvrosija episkopa Mediolanskago (Sermo cum tuenda esset thesis magistralis, De S. Ambrosii Mediolanensis doctrina de moribus habitus), 1912, pag. 1045—1050. Hanc thesim tuitus est scriptor in academia ecclesiastica petropolitana die 12 iunii 1912. Summa quaedam est eorum, quae de re sibi proposita quaesivit.

N. M. Malašov. Genezis religioznago soznanija po dokazatel'stvam bytija božija (De conscientiae religiosae origine ex argumentis quibus Deum esse probatur), 1912, p. 1082—1096. Scriptor analysin psychologiam facit argumentorum cosmologici, teleologici, ontologici.

N. A. Jamoklo. K voprosu o kanoničeskom dostoinstvě i cerkovnom ponimanii Apokalipsisa (Ad quaestionem de auctoritate canonica Apocalypseos et vi ab ecclesia ei tributa quaedam conferuntur), 1912, p. 1097—1109. De instituto et genere scribendi huius libri paucis exponit. Modum eam interpretandi s. Augustini potissimum usus scriptis ostendit: Babylonem in ea Romam imperialem significare declarat.

B. V. Titlinov. Moskovskij mitropolit Platon Levšin i ego učastie v cerkovno-pravitel'stvennoj dějatel'nosti svoego vremeni (De Platonis Levšin, metropolitae mosquensis, in iis, quae ad ecclesiae administrationem tum pertinebant, partibus), 1912, p. 1199—1260. Die 11 novembris 1912 absolutum est saeculum a morte Platonis Levšini illustrissimi metropolitae mosquensis. Breviter enarrat scriptor ipsius vitam, ac maxime de eius rationibus cum rei publicae administratoribus disputat.

I. E. Evsèev. Očerki po istorii slavjanskago perevoda biblii (Quaedam ad historiam bibliorum in Slavicum conversorum pertinentia), 1912, p. 1261—1285; 1342—1374. Die 14 novembris 1912 alterum absolutum est saeculum a promulgato Petri I edicto, quo statutum est, ut emendarentur biblia slavica, comparatione instituta cum exemplo graeco. Hoc edictum affert scriptor. Paucis historiam versionis slavicae usque ad saeculum XV scribit. De canonis Sacrae Scripturae et bibliorum latinorum ad biblia slavica saeculi XV contagione, opera Gennadii et Iosephi Volockii exponit. Maximi momenti haec disputatio est ad theologiam polemicam. Scribit deinde historiam scripturae sacrae in Russia occurrentis saeculo XV, de versionibus atque explicationibus eius saeculo XVI susceptis, de interpretationibus ex Hebraico in Russia occidentali institutis, de psalterio saeculi XVI musaei Rumjancevi, de bibliis ex Polonico conversis, de versione parvo-russica. Doctrina et iudicii subtilitate tota splendet disputatio.

N. I. Sagarda. Svjatago Grigorija Čudotvorca „Blagodarstvennaja rěč' Origenu (Λόγος χαριστήριος

S. Gregorii Thaumaturgi ad Origenem disseritur), 1912, p. 1177 ad 1198; 1321—1336. Huius documenti maxime ad S. Gregori vitam momentum S. exponit. In Russicum conversum proponit graecum exemplum editum a Koetschan, Friburgi, 1894.

A. I. Sagarda. Kliment aleksandrijskij, izvlečenija iz Theodota, i Izbrannyja mēsta iz proročeskiĥ knig (Clementis alexandrini opera 'Εκ τῶν Θεοδοίου, et 'Εκ τῶν προφητικῶν ἐκλογαί), 1912, p. 1286—1302. In Russicum vertuntur de Graeco secundum Stählinii editionem expensis academiae bo-russicae disciplinarum factam. Verba s. Patris illustrantur adnotationibus partim a Stählinio depromptis, partim ab ipso scriptore adiectis.

N. I. Sagarda. Pis'mo Origena k sv. Grigoriju Čudotvorcu (Origenis ad S. Gregorium Thaumaturgum epistula), 1912, p. 1337—1341. Pauca ex historia litteraria huius epistulae Koetschau secutus exponit, eamque in Russicum translata adicit.

A. I. Brilliantov. Preosv. Innokentij Smirnov, episkop penzenskij i saratovskij (De Innocentio Smirnov, episcopo Penzensi et Saratovensi), 1912, p. 1375—1410. Innocentius Smirnov, natus anno 1784, vita defunctus anno 1819 praeclarum habet nomen inter scriptores russos. Composuit delineationem historiae ecclesiasticae ab aetate biblica usque ad saeculum XVII (1816) Lectiones de theologia practica etc. Vitam eius *B.* scribit, ipsius opera recenset, uberrimos indicat fontes eius vitae scribendae.

P. N. Terleckij. Hiliastičeskija čajanija v novom religioznom soznanii (De chiliasticis opinionibus recentem conscientiam religiosam russicam moventibus), 1912, p. 1411—1419. Scriptor de nova philosophia religiosa, vel potius de nova religione quam praedicant Berdjaev, Merežkovskij, Rozanov disputat. Fingunt huiusmodi scriptores revelationem christianam absolutam non esse, eamque impletum iri revelatione Spiritus Sancti, ex quo nova religio sit oritura. Plura non addimus. De ea re brevi nobis exponendum est.

A. Palmieri.

Миссионерскій съѣздъ въ городѣ Казани 13—26 іюня 1910 г.
(Missionerskij s'ezd v gorodě Kazani 13—26 ijunja 1910 goda.)
Relatio de conventu, qui ad missiones promovendas habebatur in urbe Kazan diebus 13—26 mensis Iunii a. 1910. Kazan, 1910. VIII+78.

Imperante S. Synodo, qui est supremus magistratus administrandae ecclesiae russicae, conventus ad promovendas missiones et domesticas et externas in urbe Kazan habebatur, ad quem multi archiepiscopi, episcopi, presbyteri, laici convenerunt. Conventui

praesidebat RR. D. Nicanor, archiepiscopus kazaniensis. Die 11. Iunii collegium res praeparantium ea, quae disceptanda erant, singulis partibus distribuit. Fuerunt autem imprimis haec tractanda:

1. Quomodo alienigenae religione christiana imbuerentur.
2. Quali studio missionarii orthodoxi inter alienigenas laborarent.
3. Quomodo re ad edocendos et paganos et heterodoxos aptissima, libris utendum sit.
4. Quomodo procedat missio inter paganos, maxime lamaistas, quomodo pugnetur contra perversam doctrinam mahometanismi.

Conventus diebus 13—26 Iunii celebrabatur. Partes singulae ea quae decreverant, conventui proposuerunt, qui de eis iudicium ferebat. Omnia fere accepta sunt. In genere postulabatur, ut educatio missionariorum ad munus propositum aptius institueretur, ut plures scholae educandis missionariis constituerentur, ut alumni diligenter linguas discerent. Monebatur, ut missionarii vitae et scientiae laudibus florerent, ut inter se iuarent, ut archipastores eis bene invigilarent, qua de causa ut saepe suas provincias visitarent. Optabatur, ut moniales studiosius rei missionariae se dederent, liberos et paganorum et heterodoxorum educando et aegrotis serviendo; libri et libelli, imprimis apologetici apte conscripti large in populo dispergerentur.

In specie quaedam peragebantur, quae nostra intersunt. Vehementer conquerebantur, quod opiniones paganismum sapientes in litteratura per scriptores optimos divulgarentur; quo facto, cum libri hi avidè a iuvenibus potissimum legerentur, animum christianum in populo evanescere et homines imprimis cultos ab ecclesia se avertere. Quale remedium huic rei esset adhibendum? Ipsos ecclesiae praesules debere huic periculo strenue se opponere. Laudabatur ecclesia catholica, quod indice librorum prohibitorum et poenis ecclesiasticis sine ullo timore virus istud pestiferum a suo populo avertere studet. Qua in re eximium eius procedendi modum etiam ab ecclesia orthodoxa esse imitandum. Contra lamaistas, decretum est, ut adhiberetur auxilium bracchii saecularis, ut prohiberetur vagatio capitis lamaistarum, Dalai-Lama, in suis regionibus, cum hoc modo pagani in suo errore valde confirmarentur. Finitus est conventus proposito, ut a S. Synodo peteretur, ut in tribus annis iterum generalem conventum in urbe Kazan institueret.

M. Daněk.

Ioann Arsen'ev. Отъ Карла Великаго до реформаціи (Историческое изслѣдованіе о важнѣйшихъ реформаціонныхъ движеніяхъ въ Западной церкви въ теченіе восьми столѣтій). — (Отъ Карла Великаго до реформациі. Istoričeskoe izslėdovanie o važnėjših reformacionnyh dviženijah v Zapadnoj cerkvi v tečenie vos'mi stolėtij). — A Carolo Magno usque ad Lutherum. Inquiritur in historiam praecipuorum conatum ad res emendandas in ecclesia occidentali octo saeculorum spatio captorum. Tom II. Moskva a. 1910. (Pag. 304, pretium 2 rub).

In hoc secundo tomo maioris operis I. V. Arsen'ev 4 saecula percurrit (12—15), quae ipsos Lutheri motus praecesserunt. Haec sunt capita quae tractantur: 1. Ioachim de Floris eiusque opiniones apocalypticae; 2. **Mysticismus** pantheisticus saec. 13 et 14; 3. **Doctrina Magistri Ekhart**; 4. Segarelli, Apostolici, Fra Dolcino, Patreni; 5. Dante Alighieri eiusque mens de rebus romanae Ecclesiae in melius restituendis; 6. Ioannes Viclef, quae docuit et quae gessit; 7. De universitatis parisiensis partibus in concilio Constantiensi; 8. Ioannes Hus, quae docuit, quae fecit; 9. Savonarola, ut vir ecclesiae vitiorum tollendorum studiosus.

In genere laudandus scriptor est quod cum omni diligentia fontes historicos adhibuit, quoscumque invenerat, quamquam notandum est, Arsen'ev iis facilius credere, qui catholici non sunt, et facta historica in suam partem detorquent.

Initium narrandi a Ioachimo da Celico († 1202) sumit, qui abbatis fungebatur munere in cisterciensi monasterio Floris (de Floris) in Calabria sito. **Mysticismum** exaggeratum illius aetatis repetit a repulso quodam morum vulgo corruptorum et nimii rerum praesentis vitae studii, quo viri ecclesiastici laborabant. In Ioachimi sententias praeterea astronomia arabica aliquo modo redundabat. Quam auctoritatem opinio habeat dicentium, libros sibyllinos, qui a monachis legi solebant, opiniones apocalypticas eis suggessisse, difficile dici est. Ioachim ipse quidem eiusque tria opera scripta. ab erroribus dogmaticis liber est, sed eius discipulos, e compilato circiter medio saec. 13 opere, quod inscribitur „Evangelium aeternum“, apparet fuisse sectarios. Mala, quibus Ecclesia a principibus premebatur, sua sponte desiderium melioris aetatis in animis excitabant. Regnum Spiritus Sancti expectabant, quo constituto, Ioachitae ordinem Franciscanorum summam gloriam adepturum esse opinabantur. De Antichristo, qui praecessurus esset, Ioachim nullam opinionem certam tenebat; duos videtur Antichristos statuisset, unum qui imperium, alterum qui papatum esset consecuturus (pag. 9).

Inter Ioachimum et aliquos Ioachitas parisienses, quorum primus est Gerardus de Borgo S. Donino, hoc interfuisse apparet, quod ille revelationem N. T. finitam esse existimabat, ita quidem, ut in regno Spiritus S. nihil esset patefaciendum nisi Scripturae profundior vis, hi novam legem promittebant, qua data, lex Christi valere desisteret.

A. de interiore inter Ioachitas et ordinem S. Francisci necessitudine investigat. Ex Sancti vita commemorat, quemdam virum saepius iuveni Francisco de rebus quibusdam occultis, deque margaritis pretiosis narravisse. Quem hominem a Petro Valdo profectum esse opinatur, cuius de paupertate sententiae cum Francisci conatibus satis conveniunt. Ita explicatur, ut ait scriptor, cur brevi post parentis mortem tot Franciscani ad castra transierint inimicorum curiae romanae, protestantes, se originalem spiritum

paupertatis redintegrare studere. Scriptor nimis materialiter explicat motus in ordine seraphico, qui nihil commune cum Valdensibus habuit. Franciscus haeticorum superbiae, qui suam paupertatem externam contra luxum Ecclesiae ostentabant, armis usus iisdem, veram paupertatem evangelicam opposuit, non quidem contra Romam, sed cum plena erga Sedem Apostolicam obedientia, quam saepe suis in memoriam revocabat. Legat scriptor vitam et gesta S. Antonii Pad., qui „mallei haeticorum“ sibi nomen meruit.

In secundo capite A. narrat de pantheismo saec. 13 et 14. Magistri Arabes Aristotelis opera interpretantes sententias pantheisticas Stagiritae supposuerunt. Quorum discipuli christiani non raro cum ingenio tum errore magistros superaverunt. Velut Amalricus de Bena (Bennes), qui systema haeticum extruxit fundatum in sententia: „Omnia sunt Deus, Deus est omnia“. Iam ipse quidem, sed magis discipuli eius consectaria huius doctrinae ad usum pertinentia statuerunt, maxima quoque crimina opera esse divina declarantes. Similia sparserunt David Dinensis (Dinan) et Ortlieb Argentoratensis (Strassburg). Ita secta „liberi spiritus“ orta est, cuius dogmata, maxime quae ad mores referuntur, scriptor tradit, eiusque cum Beguardis et Beginis necessitudinem indicat.

Deinde in proximo capite ab erroribus pantheistico-antinomisticis ad catholicum mysticismum mediae aetatis progreditur. Primus nobis occurrit Magister Ekehard, Alberti Magni discipulus. In ordine suo dominicano varia gessit munera, velut provincialis saxonici, vicarii gen. pro Bohemia (1303—1311). Francoforti (a. 1320) et Coloniae (a. 1325) degens, de pantheismo suspicionem movit. Is, a Henrico de Vizneburg, coloniensi archiepiscopo, Avenione in eum intenta, lente processit, quia Domini- cani in turbis politicis illorum temporum curiae papali omnem opem praestabant, cum Franciscani parti adversae addicti essent. Demum Ekehardo mortuo (1327) Ioannes XXII. 17 theses eius ut haeticas, alias 11 tamquam haesim sapientes, bulla „Dolentes referimus“ die 27. mart. 1329 condemnavit. Scriptor falso affert b. „In Cena Domini“ et annum 1319.

Qui ab Ekehardo profecti erant alii ad quendam quietismum pantheisticum pervenerunt, alii nihilismum fere buddhisticum professi sunt, alii theologiam mysticam veri nominis docuerunt, inter quos eminent Ioannes Tauler et Henricus Suso.

Capite 4. dilucide narratur de Gerardo Segarelli († 1300), qui cum sociis, quos „Fratres Apostolicos“ appellabat, paupertatem evangelicam in Ecclesia restituere conabatur. Denuo A. ordinem Franciscanorum a proposito suo declinavisse, et paupertatis studio derelicto, imperio Papae tuendo sedulo operam navavisse immerito ait. „Apostolici“ papam Coelestinum V (1294) primum post Sylvestrum I. dignum Petri cathedra dicebant; cui

cum Bonifatius VIII (1294—1303) successisset, aperte contra Ecclesiam Romanam, duce famoso Fra Dolcino, bellum moverunt.

Opera Dante Alighieri (De monarchia, Divina comedia) scriptori in caesaropapismo educato occasionem egregiam offerunt apertius quam in praeteritis capitibus invehendi in Episcoporum Romae gubernandi libidinem. Quod poëta Italus sibi finxit problema de administratione mundi, in libro historico magni faciendum non est. Dante unionem omnium gentium sub uno imperatore romano-teutonico desiderabat, amore mundi pro patriae amore subiecto; sicut mare integrum piscibus patria est, ita hominum patria mundus sit universus. Quae ratio nihil prorsus novi continet. Iam Leo III. papa et Carolus M., cum a. 800 imperio fundamenta iecerunt, unitatem quandam (sine confusione) omnium gentium in menteolvebant, sub duplici capite, spirituali et temporali, constitutam.

Frustra A. Pontifices accusat, eos sibi supremum dominium, etiam in meris negotiis humanis, arrogavisse. Qua in re consulat scriptor canonistas, qui de iure publico ecclesiastico scripserunt, ne res diversas confundat. Legat, velim, decretalem Innocentii III. „Novit ille“ (cap. 13. X. l. 2. tit. 1.), in qua Papa dicit: „Non ergo putet aliquis, quod iurisdictionem aut potestatem illustris regis Francorum perturbare aut minuere intendamus, cum ipse iurisdictionem et potestatem nostram nec velit nec debeat etiam impedire; cumque iurisdictionem propriam non sufficiamus explere, cur alienam usurpare vellemus?“ Ibidem Pontifex potestatem suam in res humanas defendit, quam non habeat nisi ob peccatum commissum. Imaginibus variis, quibus ratio quae inter imperium et sacerdotium intercedit, in diplomatis romanis pingitur (dico duos gladios, solem et lunam, Levi et Judam, Samuelem et Saulum), Dante et Arsen'ev omnem vim argumentorum tribuunt, quamquam nihil sunt nisi symbola vel decus rhetoricum. Ultro concedimus, nonnullos scriptores saec. 14. polemicos auctoritatem Sedis Romanae satis exaggeravisse (ut Petrus de Palude, Alvaro Pelajo, Augustinus Triumphus); at eorum doctrina recepta non est. Quae Bonifatius VIII. a. 1302 in bulla „Unam Sanctam“ (cap. 1. Extr. comm. l. 1. tit. 8.) ad regem Francorum de duobus gladiis scripsit, aliud non significant, nisi summitti omnes fideles legi divinae, cuius is qui Petri locum tenet custos vindexque sit: „Sive ergo Graeci sive alii se dicant Petro eiusque successoribus non esse commissos, fateantur necesse se de ovibus Christi non esse, dicente Domino in Ioanne, unum ovile et unicum esse pastorem... Uterque (gladius) ergo est in potestate Ecclesiae (i. e. societatis eccl.) spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro Ecclesia, ille vero ab Ecclesia exercendus (ecce divisa potestas). Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis“ (i. e. rex obtemperare debet legi divinae morali, ne puniatur a potestate spirituali).

Ius regium divinae esse originis, Ecclesia romana perpetuo docuit. Contrarium sane de dignitate imperatoris (occidentalis) existimabatur. Carolus M. a Papa Leone III. ad defendendam Ecclesiam, quae auctoritas toto caelo a regia potestate (in Germania) distabat, libere electus est. Cum Manuel Comnenos (1143 ad 1180) Graecorum imperator, excommunicato Friderico I., a. 1161 a Papa Alexandro III. coronam imperii romano-germanici pro pretio Unionis (!) peteret, quodammodo confessus est, imperium occidentale rem esse ecclesiasticam.

A. aliquotiens Bonifatium VIII. propter eius de rebus humanis consilia aequo vehementius aggreditur. Velut iubilaeum a. 1300 promulgatum immoderatae auri fami adscribit (krajne alčnyj do deneg pag. 99). De indulgentiis falsam tradit notionem. Ex eo, quod Dante Anastasium II. haeticum vocat, non licet concludere, eum infallibilitatem Pontificis negavisse. Nemo in Occidente negat, Papam in haeresim incidere posse.

Rerum novarum studium in Anglia (cap. 6) ipsi Papae genuerunt, qui diu ante motus a Ioanne Viclef excitatos amorem libertatis gentis anglicae usurpatis iuribus graviter laedere consueverant. A. s. Thomam Becket fanaticum vocat. Postquam de aliquibus qui Viclefum antecesserant exposuit, huius gesta in duas aetates disponit: a. 1367—1378 iuribus externis et publicis Ecclesiae ordinandis dabat operam, 1378—1384 theologi munus gessit. In 12 Viclefi de Eucharistia sententiis A. obscuritatem, sententias inter se pugnantes, rationis nimiam aestimationem qua Berengarium fere aemulatus est vituperat. Viclef eos solos Patres adducit, qui doctrinam de Eucharistia vel non data opera traderunt, vel allegoricis utuntur sententiis. A. dolet, Viclef liturgias orientales S. Basilii et Ioannis Chrysostomi ignoravisse, in quibus diserte rogatur Dominus, ut ipse oblata commutet (contra Viclef negantem sacerdotem posse fieri factorem Corporis et Sanguinis Christi). Putatne scriptor, in liturgia romana, quam Viclef optime noverat, deesse haec verba? Mentem scholasticae methodo plane inimicam A. saepius demonstrat.

Doctorum Parisiensium opinionem Concilium superius esse Papa existimantium ideo approbat, quod cum orthodoxae Ecclesiae (?) opinione omnino conveniat, quae nunquam a conciliis habendis a horruerit: Въ этомъ отношеніи галликанская теорія имѣла съ православнымъ взглядомъ на Церковь довольно близкое сродство и только тѣмъ существенно разходилась съ нимъ, что по странной непослѣдовательности все еще держалась основнаго заблужденія латинства о главенствѣ папы“ (pag. 172). Eugenius IV synodum Basileensem eo consilio Ferraram transtulit ne voluntati partis maioris, quae rebus emendandis favebat, obsequi cogeretur! At constat, Pontificem Graecis (Michael Palaeol.) morem gessisse, qui ut in urbem italicam Concilium cogeretur a Papa postulaverant. Eugenium dogmata basile-

ensia quibus statutum esset superiora esse concilia auctoritate papae, bullis „Inscrutabili“, „In arcano“, „Dudum“, agnovisse verum non est. Annuat dumtaxat Papa, ut ab iis qui Basileam convenissent legitimum haberetur Concilium, non renuntiata propria auctoritate comprobandi vel reiiciendi ea, quae ibidem gesta essent. Brevi vero post in bulla „Deus novit“ (Mansi, Coll. Conc. 29. p. 82) vocibus acerrimis decreta schismatica sess. 4. et 5. reprobavit, tamquam Sedis Apostolicae iurisdictioni et priorum saeculorum traditioni inimica. Generalem illam sententiam scriptoris dicentis, Romam et Ecclesiae emendationem duas esse notiones quae inter se componi non possint (pag. 207), historia ipsa refutat, nisi voce „reformationis“ novas opiniones a vero revelato alienas comprehendere velis.

Cap. 8 est de solo magistro Ioanne Hus ecclesiae emendandae auctore Bohemo. Panegyricus est orthodoxiae orientalis. Hus fidem orthodoxam, a SS. Cyrillo et Methodio omnibus Slavis hereditate relictam, in patria sua restituere conatus est; proinde gentibus Slavis universis cara sit eius memoria. Пора, давно пора воздать великому чешскому реформатору тотъ естественный долгъ глубокой благодарности со стороны всего православнаго міра за то, что онъ явился въ защиту тѣхъ остатковъ древняго православія своего отечества, которые еще въ XV вѣкѣ живо напоминали чехамъ ихъ незабвенныхъ равноапостольныхъ просвѣтителей Кирилла и Меѳодія, и ратуя за это святое дѣло, окончилъ свою доблественную жизнь на инквизиціонномъ кострѣ (pag. 208).

I. Hus neque Lutheri praenuntius a Germanis iuste appellatur, neque scripta Viclefi caece secutus est, cuius haereses indignatus reiecit. Doctrina Hus adeo perfecte cum dogmate orientalis Ecclesiae convenit, ut eius vita inter gesta laetiora Ecclesiae graeco-orientalis ponenda sit. At ista quidem temere dicuntur. Verum est, Hus diu fidem integram servavisse, sed a. 1412, quo in aula universitatis publicam illam disputationem partes adversae instituerunt, iam aperte theses haereticas defendebat, imprimis de natura Ecclesiae, de auctoritate Scripturae, de praedestinatione. Quibus neque orientali, neque occidentali catholico assentiri licet. Si 8 illa argumenta, quae scriptor ad orthodoxiam Ioannis Hus probandam affert, plenam fidem facerent, Hus pari iure romano-catholicus atque orthodoxus dici posset. Ceterum scriptorem non fugit Ioannem Hus Papae iurisdictionem non plane respuisse, sed solum cum gratia sanctificante careret et impie viveret.

Saepius A. Romanam Ecclesiam calumniis persequitur. Velut cum de cultu reliquiarum loquitur, Sanctos a Latinis non haberi homines nostri similes, fratres nostros maiores, sed naturas quasdam superiores, ab Ecclesiae militantis hominibus nimis remotos (pag. 228). Scientiam suam e scriptis protestanticis haurit, catholicis spretis, iis quoque, quos Bohemi scripserunt (e. g. Helfert, Lenz).

A. doctrinam orthodoxam de processione Spiritus S. in scriptis Hus reperire cupit, at frustra id quaeri ipse confitetur. Tamen

mira arte concludit, Hus satis ad orientalem doctrinam inclinare (pag. 231). Hoc unum certo scimus, Hus in missae sacrificio, quod pie offerre consueverat, voce „Filioque“ non abstinuisse. Unde scriptor hauserit, quod dicit gentem Bohemam per integra saecula auctoritatem Papae romani respuisse, indicare nescimus (pag. 232). Monasterium vetero-slavicum a Carolo IV. Pragae institutum est, non eo consilio, ut restauraretur ritus slavus in regno, sed ut Slavis meridionalibus Ecclesiae Romanae uniendis auxilium ferretur, qua de re rex Bohemiae cum Serbiae rege Stephano Dušan scriptis agebant. Violenta morte magistri Hus, Ecclesiae orientalis martyris, Occidentales omnem uniendi copiam tollere studebant, sed historia litteris quae deleri non possunt semper notabit Romae papisticae contra orthodoxiam orientalem pugnam plenam furoris et atrocitatis. His verbis A. ea quae ad Hus pertinebant concludit (pag. 244.).

Postremo (cap. 9.) de Hieronymi Savonarolae conatibus ecclesiae vitia tollendi exponitur. A. primum de origine humanismi in Italia mentionem facit. Cognita melius philosophia arabica et graeca per bella cruce signatorum, viri docti sibi proposuerunt, ut disciplinas catenis scholasticae methodi liberarent, quibus diu vincta erat (pag. 245). Capta Constantinopoli multi viri docti e Graecia in Italiam sese contulerunt, ubi litteris et artibus veterum renovandis operam navabant. Studia huius generis magno studio principes Florentiae fovebant, Cosimo et Lorenzo Medici. Contra mores huiusmodi antiquitatis in Italia revocandae studiis vulgō corruptos, Savonarola bellum acerrimum suscepit. Is sanctus martyr, magnus, iustus appellatur, qua in re quam plurimi historici occidentis cum A. consentiunt. Verum quod dicit, Alexandrum VI. Savonarolae dignitatem cardinalatus et archiepiscopatum florentinum obtulisse, dummodo ab impugnandis consuetudinibus malis abstineret, testimoniis non confirmatur. Neque verba illa praelati ei civitatem sanctam adimentis vera esse possunt: „Separo te ab Ecclesia militante et ab Ecclesia triumphante“, quia Pontificale Romanum ea non continet.

Savonarolam A. existimat esse ex paucis illis Occidentalibus, qui notionem purae atque vere apostolicae Ecclesiae fovebant, quae notio in romana Ecclesia non invenitur. Ideo tantum ad Ecclesiam orthodoxam recta non tendebat, quia eam ignorabat (pag. 294.).

Postquam scriptor praecipuorum virorum qui rebus novis studebant qui a temporibus Caroli M. usque ad Lutherum in Ecclesia latina floruerunt doctrinas exposuit, in ultimis paginis (295—304) hanc iudicii summam enuntiat. Protestantismus nihil aliud est, quam status maturior et perfectior eiusdem studii rationis omnium rerum imperio donandae, cui omnibus saeculis romana Ecclesia, etsi occulte, indulgebat, saltem a saec. 6., quo in Hispania ad symbolum additum est „Filioque“. Omnium Occidentis errorum radix falsa est opinio de summa Ecclesiae auctoritate ad quam universa referantur. *Πρωτων ψευδος* romanismi fuit, quod a vita spirituali

defecit, atque ad curas humanas deflexit, омірщеніє, quod ad iuris humani principia omnia revocabantur, юридическая регламентація, quod ordo hierarchiae Veteris Foederis cum Novo confundebatur. Auctoritatem suam Episcopi Romae a decretalibus pseudoisidorianis (saec. 9.), deinde a Gratiani decreto repetierunt. Papa omnium rerum caelestium atque humanarum dominus est, principes eius clientes. Concilia oecumenica a Latinis inutiles caerimoniae habentur. In locum capitis Ecclesiae quod conspici non potest subdiderunt caput quod sub aspectum venit, peccatum Ozae regis commiserunt, qui arca foederis potiri studebat. Ecce ratio omnium rerum quasi domina et deus Romae habetur. Quem errorem principem aliud peccatum logice consequitur, dico Papae superbam dominationem, qui variis Ecclesiis spretis, sententiam voce „Filioque“ addita symbolo significatam sanxit. Latini traditionem reiciunt, Pius IX. dixit: „la tradizione son io“. Papae contra regulam Vincentii Lerinensis peccaverunt: „quod semper, quod ubique, quod ab omnibus creditum est, hoc est catholicum.“

Varia studia ecclesiam in melius restituendi in occidente contra Romam orta ideo in cassum redierunt, quia rationis cultui Papae proprio suum rationis cultum atque opinionis dominationem opposuerunt, neglectis iis, quae in Ecclesia Orientis tradebantur. Res novas, quas Roma papis imperantibus induxit, ex antiquis vel recentioribus haeresibus hauserat. Veteres catholici, qui ab orthodoxia non multum distant, impotenti Papae imperio relicto, pacem et concordiam cum orientali Ecclesia inire cupiunt. Sed multo propius ad Orientem Ioannes Hus accessit. Omnes qui media aetate morbo ecclesiae mederi studebant, gallicanorum, qui soli veram doctrinam christianam sapiunt, decretis similia adversus romanam opinandi libidinem docebant.

In fine operis A. pium desiderium profert „ut pura et sancta Ioannis Hus hereditas mox denuo in Occidente reviviscat, imprimis vero in eius patria, ubi eius memoria cum honoribus servatur, utque fratres nostri Bohemi eius imbuti animo, ab orthodoxis dogmatis depravatione separati, mox ad sanctam et puram orientis orthodoxiam veritatemque catholicam accedant, qua orthodoxa orientis Ecclesia feliciter fruitur, quamque, divina adiuta gratia, nec umquam perdidit neque corrupit.“

Solito diutius in sententiis historici Russi immorati sumus, ut legenti tanquam in speculo ostenderemus, quam necessarium esset, historicum in seligendis libris caute se gerere, et ab omni studio partium abhorreere. Quam laudem A. tribui aequum non est. Omne malum Roma sola genuit, Papae omnes et singuli nihil spectabant nisi ut possiderent vel regnarent, ne unus quidem eorum moribus corrigendis utcumque dedit operam. Sola Ecclesia orientalis puritatem fidei et morum integritatem servavit, ita ut nulla unquam curatione opus ei fuerit! Opus I. Arsenev scriptum non est ad desiderium Ecclesiarum inter se reconciliandarum excitandum,

Croatica.

Dragan Dujmušić: Kritična povijest sv. Kuće Marijine u Loretu i njezini prenosu (Historia critica almae Domus Lauretanae elusque translationum). Edidit „Kuća dobre Štampe na Rijeci“ 1912. Pg. 353. Pret. 3 cor.

Quaestio de veritate almae Domus Lauretanae post annum 1905 incitantibus barnabita Leopoldo de Feis (Della Casa, Firenze 1905) et Canonico Ulysse Chevalier (Notre-Dame de Lorette, Paris 1906) vehementer agitata copiosis libris scribendis, quibus traditio christiana defenderetur ansam dedit. Huius quoque libri praecipuum institutum est, christianam de translatione almae domus Lauretanae traditionem, quae Croatas quam maxime attingit, utpote quae cum translatione Tersactica in finibus Croaticis artissime cohaereat, defendere.

In quaestione explicanda *D.* duplici via procedit: positiva seu historica quae praevalet et polemica.

Ut argumentum summis saltem labiis tangamus, haec sufficient. In 4 primis capp. quaestio quam appellant Nazaretica agitatur, num domus vera s. Familiae Nazareti inde ab incunabulis usque ad annum 1291 exstiterit, quae res argumentis vetustissimae traditionis, itinerariorum sacrorum, scriptorum ecclesiasticorum satis probatur.

Cap. 5. quaestio quam appellant Tersactica agitatur: num domus sacra Tersactum in Croatiam pervenerit ibique annos tres mensesque septem manserit; ad quod factum probandum scriptores Croatici historici testes citantur Glavinić, Kašić, Pasconi, Francetić, Marotti, scripta „Memoriarum Meduidianarum“.

Inde a cap. 6. traditio christiana de triplici translatione Lauretana prope urbem Recanatum in Piceno in tuto ponitur. Retro cedens *D.* celeberrimos historiarum et annalium scriptores a saec. XVI. usque ad saec. XIX. adducit: Hieronymum Angelitam, Raphaelem Rieira, Horatium Tursellini, Christianum van Adrichem, Caesarem Baronium, Abrahamum Bzovium, Spondanum Henricum, Rainaldum Odoriccum, Luccam de Wadding, Petrum Canisium, Bollandistam Carolum du Fresne, Daniele Farlati, Ioannem Trombelli, Iosephum Vogel, Monaldum Leopardi, qui omnes traditionem christianam in suis scriptis typis editis ut historicam veritatem affirmant et enarrant. -- His ostensis cap. 7—10 in saec. XV. progreditur perpendens primum famosam relationem Teramani et Mantuani, deinde vero adducens alios saec. XV. scriptores (Antonium Bonfini, Aloysium Lazzarelli, Ioannem Petrucci, Flavium Biondo, Hieronymum Radiolo, scriptorem operis „Mappe-monde Spirituelle“) item plurimos qui in loca sacra Palaestinae et Italiae profecti sunt, qui omnes traditionis christianae advocati inveniuntur.

Antequam testimonia saec. XIV. primi post translationem, in medio proferret, ordini coepto *D.* cap. 11., omnium pulcherrimum, interposuit in quo condiciones civiles et religiosas Italiae generatim regionisque Lauretanae, quae tempore translationis fuerunt, descripsit.

His interpositis in cap. 12. documenta saec. XIV vetustissima veritatem translationis comprobantia afferuntur. Documenta haec etiamsi non numerosa, tamen maximi sunt momenti, quippe quae translationi proxima sint. — Cap. 13. singularis quaestio examinatur, quid Romani Pontifices inde ab anno 1291 usque ad hoc tempus de translatione Domus Lauretanae senserint ac dixerint. Ex quo capite apparet, ne unum quidem Summum Pontificem traditionis adversarium unquam fuisse, sed alios caute siluisse, alios de translatione cum aliqua exceptione locutos esse, alios vero eosque quidem plurimos translationem clare et aperte agnovisse.

Ad veritatem translationis probandam cap. 14. traditio quoque apud Croatas ab antiquissimis temporibus servata separatim inspicitur, quae res iam cap. 5. aliquatenus tacta est.

Complementum necessarium argumentorum historicorum continetur cap. 15. et 16. in quibus sacra loca Nazaretana et Lauretana describuntur. Inde apparet, domum Lauretanam, eius aedificium, fundum, lapides, iuncturas aliasque huiusmodi res a rerum peritis serio examinatas et genuinas inventas esse. Hoc modo domus ipsa veritatem translationis probat.

In cap. 17. *D.* adversarios traditionis christianae cum antiquorum novos recenset eorum methodum falsaque principia explicat, licet singulos adversariorum errores, maxime Chevalieri, procedente libro refutaverit.

D. qui poëtae Croatici gloria gaudet, librum eleganti quoque dicendi genere instruxit et sic historicam commentationem iucundam fecit.

Dr. K. Dočkal,

Spomenica Rugjera Josipa Boškovića o 200-toj obljetnici Njegova rođenja (18. V. 1711 — 18 V. 1911) (Memoria vitae P. Rog. Jos. Bosković composita ob ducentesimum ab eo nato annum). Edidit societas catholica Ragusana nomine „Bosković“, 8^o, 192 pag., (cum imaginibus et apographis luce pictis) Dubrovnik 1911 2 Cor.

In hoc libro praeter alia insunt hae commentationes:

Ante *Anić*, Život i rad Rugjera Josipa Boškovića p. 3—18. Quis fuerit et quae fecerit R. D. Bošković narratur.

Znanstvena djela Boškovićeve p. 19—22. Libri 88 de rebus doctrinae a B. conscripti, chronologico ordine compositi recensentur.

U. *Talija*, Boškovičev rad na filozofskom polju p. 23—56. Quid in philosophia B. praestiterit exponitur.

Prof. Dr. Božo *Cvjetković*, Rad R. J. Boškovića na polju atomistike, meteorologije i geodezie p. 57—80. De B. in atomologia, meteorologia, geodaesia meritis scribitur.

Prof. G. *Gelcich*, Per l' epistolario di Ruggiero G. Boscovich d. c. d. G. — Memorie e documenti p. 81—110.

O. Petar *Vlašić*, Boškovičevi nazori o Bogu i duši p. 111 ad 119. Quid B. de Deo et de anima senserit quaeritur.

Prof. Juraj *Carić*, Atomi i Rugjer Bošković p. 120—136. De atomis investigationi P. B. subiectis.

O. Antonin *Zaninović* Domin.: O. Serafin M. Crijević (Cerva) o Rugjeru Boškoviću p. 137—139. Quid P. Ser. Cerva de P. B. iudicaverit commemoratur.

Niko I. *Gjivanović*, Anica Boškovičeva, Rugjerova sestra p. 140—4 De sorore P. B.

Niko I. *Gjivanović*, O Luigju Tomagnino (Tamagnini) tajniku R. Boškovića p. 145—151. De Aloisio Tomagnini, qui R. Bošković fuit a secretis.

Ante kan. *Liepopili*, Rugjer Bošković kao redovnik p. 152 ad 160. De P. B. vita religiosa.

Vid V. *Vukasović*, Critice o Rugjeru J. Boškoviću (prema pučkoj predaji) 1. Trešnja i léri dubrovački, 2. „Tri a tri — pet“, 3. Rastreseni veleum p. 166—170. Quaedam e vita P. B. afferuntur, quae facta esse narrant: 1. De terrae motu et baiulis Ragusanis. 2. Tres plus quattuor esse quinque. 3. De viro elati ingenii aliena cogitante.

Kra'ka hronika katol. društva „Bošković“ u Dubrovniku p. 180—187. Societatis Ragusanae, quae a B. denominatur res gestae paucis adumbrantur.

Apparet in hoc libro ob ducentesimum post B. natum annum edito satis amplum spatium datum esse doctrinae; nihil igitur mirum est eum a paucis expetiturum esse, quamvis illustris vir Croata Bošković fuisset.

Fr. X. Hammerl S. I.

Dr. *Vilko Anderlić*: **Socijologija**. Djakovo 1912. Pg. 120. Pret. 2 Cor.

A., seminarii Diacovensis professor, in hoc libello brevem conspectum totius doctrinae de quaestione quam vocant socialem praebet. Non id spectabat, ut totam doctrinam copiose exponeret, sed ut principia tantum indicaret, atque ulteriora discipulis suis in lectionibus adumbraret.

Dr. *K. Dočkal*.

Externa de Slavis.

The american catholic Quaterly Review, 1912, t. XXXVII.

Hildebrand van Amstel O. P., *The Mariavites*, p. 49—60.

Scriptor paucis fontibus polonicis et hollandicis utitur. Fontes russicos praecipuos eaque quae nos in commentariis italicis de hac secta tradidimus ignorat. Negat hanc sectam esse suam in decretis: synthesin enim esse jansenismi et veteris catholicismi; exercitia ascetica exaggerari: in constitutione Ecclesiae misceri notiones catholicas et regulas monasticas: principium vulgarem nevroticismum.

A. Palmieri.

STUDIEN UND MITTHEILUNGEN ZUR GESCHICHTE DES BENE-
DICTINERORDENS UND SEINER ZWEIGE. Salzburg.

BESSARIONE. Roma.

BILYCHNIS. Lugano—Milano.

BULLETTINO DI ARCHEOLOGIA I STORIA DALMATA. Spalato.

LA CIVILTÀ CATTOLICA. Roma.

ROMA E L'ORIENTE. Roma 1911.

LA CIUDAD DE DIOS. Madrid.

RAZÓN Y FE. Madrid.

ECCLESIASTICAL REVIEW Philadelphia.

THE JOURNAL OF THEOLOGICAL STUDIES. London.

THE PRINCETON THEOLOGICAL REVIEW Princeton N. L.

MIESIĘCZNIK KOŚCIELNY. W Poznaniu.

ATENEUM KAPŁAŃSKIE. Włocławek.

KATOLIČKI LIST. Zagreb.

BOGOSLOVSKA SMOTRA. Zagreb.

HRVATSKA STRAŽA. Rijeka.

СРПСКИ СВЕШТЕНИК. Сарајево.

ἌΡΜΟΝΙΑ. Ἐν Ἀθήναις.

ΠΑΝΤΑΙΝΟΣ. Alexandrie.

ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΙΚΟΣ ΦΑΡΟΣ. Alexandrie.

НИВА. Львів.

VELEGRADSKIJ VĚSTNIK. Praga.

ВИЗАНТИЙСКІЙ ВРЕМЕННОК. Спб.

ЦЕРКОВНЫЯ ВѢДОМОСТИ, издаваемыя при Св. Синодѣ. Спб.

БОГОСЛОВСКІЙ ВѢСТНИКЪ, Свято-Троицкая Сергіева Лавра.

ЦЕРКОВНИИ ВѢСТНИКЪ. Спб.

ЗАПИСКИ ИМПЕРАТОРСКАГО ХАРЬКОВСКАГО УНИВЕР-
СИТЕТА. Харьковъ.

УЧЕНЫЯ ЗАПИСКИ ИМПЕРАТОРСКАГО КАЗАНСКАГО
УНИВЕРСИТЕТА. Казань.

УЧЕНЫЯ ЗАПИСКИ ИМПЕРАТОРСКАГО ЮРЬЕВСКАГО
УНИВЕРСИТЕТА. Юрьевъ.

ИЗВѢСТІЯ ИСТОРИКО-ФИЛОЛОГИЧЕСКАГО ИНСТИ-
ТУТА КНЯЗЯ БЕЗБОРОДКО ВЪ НѢЖИНѢ. Нѣжинъ.

ИЗВѢСТІЯ ОТДѢЛЕНІЯ РУССКАГО ЯЗЫКА И СЛОВЕС-
НОСТИ ИМПЕРАТОРСКОЙ АКАДЕМІИ НАУКЪ. Спб.

УНИВЕРСИТЕТСКІЯ ИЗВѢСТІЯ. Кіевъ.

ЛѢТОПИСЬ ЗАНЯТІЙ ИМП. АРХЕОГРАФ. КОММИССІИ. Спб.

ТРУДЫ КІЕВСКОЙ ДУХОВНОЙ АКАДЕМІИ. Кіевъ.

ПРАВОСЛАВНЫЙ СОБЕСѢДНИКЪ. Изданіе Казанской Ду-
ховной Академіи. Казань.

СООБЩЕНІЯ ИМПЕРАТОРСКАГО ПРАВОСЛАВНАГО ПА-
ЛЕСТИНСКАГО ОБЩЕСТВА. Спб.

СТРАННИКЪ. Спб.

ЦЕРКОВЬ. Москва.

ДУШЕПОЛЕЗНОЕ ЧТЕНІЕ. Москва.

ХРИСТИАНСКОЕ ЧТЕНІЕ. Спб.

ACTA
ACADEMIAE VELEHRADENSIS

ANNUS IX.

OLOMUCII, 1930.

SUMPTIBUS ACADEMIAE VELEHRADENSIS. TYPIS GRAPHIA BRUNAE.

INDEX.

Pars I.

Jos. Vágner, Num s. Irenaeus testatus sit Primatum Romani Pontificis 1—22.

CONSPECTUS LITTERARUM AD ACADEMIAE STUDIA PERTINENTIUM: (*B. Spáčil*) **Adolf Harnack**, Der Geist der morgenländischen Kirche p. 22—23. — (*Jos. Lenner*) **Joh. Ernst**, Cyprian und das Papsttum 24—25. — (*B. Spáčil*) *Recherches de Science religieuse* 28. — (*A. Palmieri*) *Revue du clergé français* 28—30. — (*Domen. Prestifilippo*) **Gaet. Romano**, Cenni storici della Missione della Compagnia di Gesu in Grecia 115—116. — (*A. Palmieri*) **Adolfo Cellini**, Lautenzia del capo XXI. dell'evangelio giovanneo e la investitura di S. Pietro 116. — (*H. Auffroi*) **J. Claraz**, Le mariage des prêtres 116—117. — (*E. Hocedez*) **L. Choupin**, Valeur des Décisions Doctrinales et Disciplinaires du Saint-Siège 117. — **H. I. Hamilton**, The People of God 117—119. — (*A. Špaldák*) **Bury**, A History of the Eastern Roman Empire 119. — **J. B. Thibaut**, Monuments de la Notation Ekphonétique et Hagiopolite de l' Eglise Grecque 119—120. — **V. Jagić**, Entstehungsgeschichte der kirchenslavischen Sprache.² — **Paul Renaudin**, La doctrine de l' Assomption de la t. s. Vierge, sa définibilité . . . 120—121. — **W. Sanday**, The primitive Church and Reunion 121. — **Lefferd M. A. Haughwout**, A World Movement for Christian Unity 121—2. — **Echos d' Orient** 1909—1913 122—5. — **Theologische Quartalschrift** 1912, 1913 125. — **Revue Augustinienne** 1910 125. — **Katholik** 1912 125. — **Historisch-politische Blätter** 1912 125. — **Revue Bénédictine** 1912, 1913 125—6. — **Theologie und Glaube** 1914 126. — **La vie diocésaine de Malines** 1912 126. — **Bessarione** 1912 126. — **Theologische Studien und Kritiken** 1914 126. — **Bibliotheca Sacra** 1914 126—7. — **The Expositor** 1914 127. — **Russlands Kultur und Volkswirtschaft** 1913 127. — **Novi libri** 127—8.

VARIA: Interrogationes et Responsa: De IV. conuentu Velehradensi 30 — *Haluščynskij*, De ordine s. Basilii. 128—9. — [Goeken], De orthodoxorum cum veteribus catholicis commercio 129—131.

Pars II.

Jos. Vraštil, Quomodo sacri Codicis bohemicus iubilaeum quingentorum annorum digne celebrandum sit . . . 31—44.

Vác. Seifert, De ss. Cyrilli et Methodii iurisdictione . . . 111—5.

Conspectus singulorum operum recentium:

BOHEMICA: (*A. Špaldák*) **Zd. Nejedlý**, Dějiny husitského zpěvu. 44—5. — (*Al. Kroess*) **Jiří Sahula**, Z husitství do protestantismu. 132—4. — (*A. Špaldák*) **Richard Špaček**, Ježíš Kristus jako božský Mesiáš a pravý Syn Boží dle synoptikův. 134. — **Ad. Patera & Ant. Podlaha**, Soupis rukopisů knihovny metropolitní kapitoly pražské. 134. — **Novi libri** 134—5.

POLONICA: (*A. Špaldák*) **Fr. Lisowski**, Słowa ustanowienia najśw. Sakramentu a Epikleza. 135—8. — (*M. Daněk*) **Cz. Sokolowski**, Życie dogmatu 138. — (*A. Špaldák*) **Novi libri** 138—40.

RUSSICA (*A. Palmieri*) **Stefan**, K voprosu o sistemě pravoslavnago xristianskago nraoučeniija 45—50. — (*A. Iščak*) **Serafim**, Monastyrskij obščezitelnyj ustav 50—3. — (*A. Palmieri*) **Pravoslavnyj Sobesēdnik** 1909. 53—8. — (*M. Haluščynskij*) **Bogoslovskij Věstnik** 1910. 58—64. — (*A. Palmieri*) **Xristianskoe čtenie** 1908—12 65—110. — (*A. Špaldák*) **Vi. N. Straxov** Vtoroe poslanie sv. Ap.

Pavla k Tessalonikijcam 140—2. — **M. D. Priselkov.** Očerki po cerkovno-politi-
českoj istorii Kievskej Rusi X—XII. vv. 142. — **A. S. Šmakov** Evrejskij vopros
na sceně vsemirnoj istorii. 142—3. — (*M. Daněk*) **N. N. Glubokovskij,** Istori-
českoe položenie i značenie ličnosti Teodorita, episkopa kirskago. 143. — (*A.*
Špaldák) **N. V. Pokrovskij** Očerki pamjatnikov xristianskago iskusstva i ikono-
grafii 143. — **Pěsni** russkix sektantov mistikov. 143—4. — (*J. Pejška*) **V. Gerje,**
Blažennyj Augustin. 144—6. — (*A. Špaldák*) **Izvestija Russkago Arxeologičeskago**
Obščestva v Konstantinopolě 1911. 1912 146. — **Missionerskoe Obozrenie** 1911.
146—7. — **Golos Cerkvi** 1913 147. — **Xristianskij Vostok** 1912 147. — **Strannik**
1913 147—8. — **Cerkvi** 1911 148. — **Žurnaly Ministerstva Narodnago Prosvěš-**
čenija 1910. 148. — (*Jos. Vágner*) **Libri a. 1912 editi** 148—77.

RUTHENICA. (*I. Cehelskyj*) **Biblioteka bohoslovska** 178. — **Biblioteka Nyvy**
178. — **Myxajlo Hruševskij** Istoriija Ukrainy. Rusy 178—9. — **Libri recentiores**
179—81.

SERBO-CROATICA. **Glasnik Pravoslavne Crkve** 1912. 181. — **Glas Srp. Kr.**
Akademije II. 181. — **Srp. Knjiž. Glasnik** 1913 181. — **Bogoslovski Glasnik** 1912
182. — **Bosanska Vila** 182. — **Glasnik Zemaljskog Muzeja u B. i H.** 1912 182.
— **Arhiv za istoriju srpske pravoslavne karlovačke Mitropolije** 1911. 182. — **Libri**
recentiores 182—3.

SLOVENICA. (*A. Jemelka*) **Voditelj v bogoslovnih vedah** 1910.

EXTERNA DE SLAVIS ... p. 184.

IUDICIA QUÆDAM DE AAV. VOL. X.

„Au demeurant, presque tous ces travaux, j'entends ceux de la première
partie aussi bien que de la seconde, sont remarquables par la richesse extra-
ordinaire de la documentation, par la variété et la précision des références.“
J. Forget: *Revue d'Hist. ecclés.* p. 122—3.

„Die 18 Abhandlungen von besonders Verfassern behandeln die strittigen
Probleme mit einer historischen und bibliographischen Gründlichkeit, die den
Wert dieser Abhandlungen weit hinaushebt über das enge Gebiet der Dogmatik,
und so für den Kulturhistoriker und Historiker, der tiefer in die Dinge zu sehen
bestrebt ist, reichste Belehrung bietet.“ **R. Ganszyniec:** *Byzantinisch-Neugrie-
chische Jahrbücher* I 418.

„In its immense erudition and in the accuracy and impartiality of its in-
formation, this collection of essays, which provides an exhaustive exposition of
all the chief dogmatic special points concerning the nature of man and ori-
ginal sin, the treasure of merits, „schism“, the Church, the evolution of dogmas,
the Holy Scriptures, the Holy Spirit, the ascension of the Mother of God, and
the Holy Sacraments, acts in many respects as an excellent aid to mutual ac-
curate knowlegde, giving as it does, objective explanations and guiding indica-
tions.“ **N. N. Glubokovskij:** *The Christian East* III 22.



De ss. Cyrilli et Methodii iurisdictione.

Iurisdictionis in foro externo subiectum et fontem originalem esse episcopatum, canonistae dicere solent.¹⁾ Quaeritur, quae iurisdictionis Apostolis Moravicis concessa sit, cum episcopi ordinarentur. Data autem hac occasione prius quaeremus, quo iure in missione sua ante ordinationem usi sint. Sine dubio putare possumus, illos nunquam Photii solius iurisdictione fuisse contentos, ut Lapôtre. S. I. cecedit.²⁾ Quam ne a pseudopatriarcha rogarent, eorum erga Romam studium impediabat, atque Photii arrogantia, qui cc. a. 863. monachos Olympiacos, a legitimo patriarcha stantes, crudeliter persecutus est, cellas eorum igne delens.³⁾ Quia autem ius canonicum iam ab antiquis temporibus postulat, ne clericus nisi acceptis litteris dimissoriis, quae vocantur, perpetuis dioecesi sua discedat et ut ab episcopo novi domicilii iurisdictionem sibi expetat,⁴⁾ etiam Constantinus Methodiusque documenta illa habere debebant. Certe non est dubitandum, quin Photius doctissimos illos ideoque periculosos adversarios laetus dimiserit. Unde autem iurisdictionem in Moravia habuerunt?

Ginzel⁵⁾ qui in vitam Apostolorum nostrorum inquisivit, in Moravia ordinarium terrae fuisse existimat episcopum, qui Pataviae (Augustae Batavorum) degebat, quique illic „synodalem cum suis, et etiam aliis ibi inventis“ (scil. presbyteris) conventum frequentavit.“ Sed Snopek demonstrat,⁶⁾ hoc semel factum esse, quin etiam verbis, et aliis ibi inventis“ probari, provinciam ss. Fratrum usque ad a. 869. fuisse regionem missionum, in quam non solum dioecesanis Pataviensibus, sed etiam extraneis ut Wichingio, monacho ordinis s. Benedicti ad lacum Brigantium de abbacia Reichenau⁷⁾ atque Italicis presbyteris aditus patebat. Paulo meliore iure sibi Pannoniam archiepiscopi Salisburgenses poterant vindicare. Ius ad hanc alteram futurae archidioeceseos Moravicae partem a Leone P. III. (795—816) datum esse censebant, qui eam Carolo M. (772—814) imperatore suadente a. 798. Arnoni archiepiscopo commisit, ut ibi chorepiscopum Theo-

¹⁾ AICHNER, Comp. Iuris. Eccl. 78.

²⁾ LAPOTRE-Ehrmann, Moravané, 31.

³⁾ SNOPEK, Konst. Cyrillus u. Meth., 75.

⁴⁾ HARING, Grundzüge d. Kirchenr., 129.

⁵⁾ Ep. Epporum Bav. GINZEL, Codex, 69.

⁶⁾ SNOPEK, I. c. 78.

⁷⁾ SNOPEK, O právomoc. sv. Cyr. a Meth. — Čas. Kat. D. 1900, 126.

doricum constitueret ad terram mox ad Christum convertendam.⁸⁾ Luipramus, qui Arnoni successit, Osvaldum episcopum admodum liberum⁹⁾ deposuit et in eius locum Alfridum archipresbyterum suffecit,¹⁰⁾ tamen curam animarum aut iura episcopalia metropolitanae Salisburgenses ibi non neglegebant. Etiam Adalvimus archiepiscopus a. 865 Moseburgi quod erat castellum a Privina, Pannoniae principe, exstructum, nativitatem Domini celebravit et ecclesias quasdam in circuitu sitas consecravit.¹¹⁾ Hoc modo munere suo in Moravia episcopi Patavienses minime fungebantur, etsi Ludovicus, Germaniae rex, hanc terram eisdem a. 829. ad iudicaverat,¹²⁾ provocantibus fortasse ad Eugenii. P. II. (824—827), decretum, qui Urolpho episcopo res ecclesiasticas ibidem componendas permisit.

Quibus omnibus non obstantibus dubitare non licet, quin illae terrae ipsi S. Sedi Romanae subiacuerint; quia Pontifices Maximi Moraviam Pannoniamque nunquam sibi vindicare desierunt. Hadrianus quidem P. II. in epistula a. 869 ad Slavorum principes missa scripsit: „Illi vero (Constantinum autem et Methodium dicit) cum cognovissent ad apostolicam sedem pertinere partes vestras nihil contra canonem fecerunt“¹³⁾ Similiter etiam Ioannes P. VIII. 872—82 qui ei succesit, in litteris decem annis post ad Svatoplucum principem missis dicit „Et sicut antecessores nostros, ss. videlicet Sedis Apostolicae Praesules parentes vestros ab initio docuisse cognoscitis.“¹⁴⁾ Ex quibus satis apparere nobis videtur, quatenus Leo P. III. metropolitae Salisburgensibus illas terras concesserit, episcoposque Bavarienses „suum ius“ ad eas solum a donatione quaedam Caroli M. repetere potuisse, quae in foro ecclesiastico non sufficit. Episcopi illi nobis videntur fuisse conscii huius rerum conditionis, cum demum quintodecimo post Methodii mortem anno memorandum illud, quod Ginzl affert, ad Ioannem P. IX. (898-900) miserint.¹⁵⁾ Quae cum ita sint, concludimus, in provincia apostolorum nostrorum non episcopos Bavarienses, sed ipsos Romanos Pontifices, fuisse episcopos ordinarios, illosque Roma necessariam iurisdictionem petere debuisse. Quod ab iis re vera factum esse, his rebus comprobatur:

Cum Hadrianus ss. Fratres episcopos consecraret, ad definiendam novam dioecesin in Slavorum partibus aggressus est, cuius episcopus proprius Methodius esset, Cyrillus huius suffraganeus. Sed morte Cyrilli res immutata est. Methodio enim adhuc Romae morante legatio Coceli, Pannoniae principis, venit, qui postulabat, ut Methodius ad populum suum mitteretur. Cuius petitioni Pontifex Romanus libenter morem gessit atque episcopum quem desidera-

⁸⁾ ⁹⁾ ¹⁰⁾ ¹¹⁾ Anonymi Salisburg. a. 873. scriptoris Historia conversionis Carant., 50, 51, 55, 56.

¹²⁾ WEISS, Weltgeschichte IV, 177 (3. verbes. Aufl.).

¹³⁾ Epist. Hadriani Gloria in exc., GINZEL, Codex, 45.

¹⁴⁾ Ioannis VIII. ad Svatopl. ep. a 879, GINZEL, I. c. 59.

¹⁵⁾ KRYŠTŮFEK, Všeob. dějepis církv. II, 391.

verat ad eum misit dicens: „Non tibi soli tantum sed omnibus partibus illis Slovenicis mitto illum.“¹⁶⁾ Hisce verbis Papa ostendit, se Methodium dignitate legati apostolici ornavisse, cuius iurisdictionis ambitum adumbrat in bulla, quam Cocelo a Methodio reddendam commisit. Ibi inter alia haec legimus: „Hadrianus episcopus et servus Dei Rostislao et Sventopolco et Cocelo. Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis. Nos triplici gaudio repleti statuimus re considerata Methodium mittere . in partes vestras, virum perfectum intellectu et orthodoxum, ut edoceret vos... interpretans libros in linguam vestram... etiam cum s. missa et baptismo... Hunc unum servate morem ut in missa primo legant apostolum et evangelium Romane, dein Slovenice. — Si quis vero ex congregatis apud vos doctoribus ausus fuerit aliter seducere vos vituperans libros linguae vestrae, sit excommunicatus.“¹⁷⁾ In hac epistula Summus Pontifex primum collaudavit res ad id tempus ab apostolis nostris gestas verbis, quae iam audivimus, quod nihil contra canonem fecissent. Potuitne eos tanta laude afficere, si Moraviae terram sine apostolica permissione essent ingressi et sine debita iurisdictione? Demonstrat igitur hocce testimonium, apostolicos Fratres nostros litteras praescriptas habuisse praesertim cum eos non lateret eas esse necessarias, et Methodium quondam munere administrationis functum esse¹⁸⁾. Neque difficile fuerat eas recipere vel per archiepiscopum Thessalonicensem, munus vicarii apostolici gerentem¹⁹⁾ vel per Theognostum archimandritam tum Romae cum aliis a Photio proscriptis presbyteris degentem et cum Oriente frequenti epistularum commercio coniunctum.²⁰⁾

Sine dubio Methodius omnem necessariam iurisdictionem saltem tum — si non prius accepit, cum eum Hadrianus Papa „in partes nostras mittere“ statuit. Quod iam eo temporis momento factum esse Ioannes P. VIII, testatus est verbis: „eius archiepiscopatus ei privilegium confirmavimus.“²¹⁾ Verba haec sensu carerent, nisi Methodius episcopi saltem dignitatem iam habuisset. Cum autem Methodius etiam legatus apostolicus factus sit et tali dignitate Romani clerici ornari soliti sint, ex extraneis autem soli archiepiscopi nonnulli,²²⁾ non sine iusta causa eum esse titulo archiepiscopi ornatum putant. Qui honoris gradus perutilis videtur fuisse ad rem Methodii adversus metropolitam Salisburgensem defendendam. Fontes historici pro hac Francisci Snopek, archivarii Kremsiriensis, opinione pugnare videntur, cum eum ad S. Andronici apostoli sedem esse ordinatum dicunt,²³⁾ licet verum

¹⁶⁾ Život Meth. VII. in Prameny čes. děj., I., 45.

¹⁷⁾ Vita Math. VIII. in Font. rer. bohemicar. I., 46.

¹⁸⁾ LAPOTRE-Ehrman, Moravané, 18.

¹⁹⁾ c. 8. C. III. x. 6 vel c. 5 C. XXV q. 2 etc.

²⁰⁾ SNOPEK, Konst.-Cyrill und Meth., 76.

²¹⁾ Ioannis VIII. ep. ad. Svatopl. a. 879 GINZEL „Codex“ 61.

²²⁾ SNOPEK 1. c. str. 106.

²³⁾ Vita Meth. VIII. — Fontes rer. boh. I, 48.

non sit, id demum ad Coceli aut Moravorum petitionem factum esse,²⁴⁾ sed ideo, quod Pontifici Romano priscam metropolim et, archiepiscopatum ac vicariatum apostolicum in Illirico Occidentali restituere placuit, cuius caput fuerat Sirmium, urbs temporum iniquitate diruta (ab Avaris cc. a 582).²⁵⁾ Fines dioeceseos Methodii describere difficile est. In septentrionali plaga totum regnum Svato-pluci continebant, qui tum Rostislao tradito ipse imperio potitus erat et in australi usque ad terram Montemeri, ducis Serbiae, pertinebant, ut cognoscitur ex Ioannis VIII. nonito cc. a. 874 ipsi dato „ut ad Pannonensium reverti studeat dioecesim“²⁶⁾ Sed constat, in hac parte Pannoniae, quae inferior vocabatur et capitis loco Petoviam urbem habebat, eodem a. 874 a Theotmare archiep., qui Adalvino successit, ecclesiam esse consecratam.²⁷⁾

Episcopis praeter potestatem ordinis est etiam potestas iurisdictionis i. e. potestas vindicativa saltem ea, quae hoc verbo accurate usurpato significari solet. In iure canonico plerumque²⁸⁾ in voluntariam et necessariam dividitur, quae rursus vel contentiosa, vel criminalis est. Voluntaria solum ad eos attinebat, qui se ei sua sponte subiecerant, ut personae miserabiles aetatis mediae, testatores etc. ad quam exsequendam iudicia ecclesiastica atque notarii ab episcopis instituuntur. Iurisdictio necessaria contentiosa, seu litigiosa,²⁹⁾ progrediente tempore orta est, cum causae a rebus ecclesiae alienae ad episcopos potius quam ad paganos iudices referrentur, monente Domino et apostolo.³⁰⁾ Iam Constantinus M. a 321. statuerat, episcopos tales causas ex partium convento dirimere posse; quod decretum etiam Arcadius et Honorius imperatores comprobaverunt, quin ius Germanicum recepit saltem si ratio spectatur. Media aetate huc praeter causas quas supra diximus, causae matrimoniales, testamentales, pertinebant, praeterea lites, quas iudices laici componere nolebant vel quae peccatum habebantur etc., imprimis privilegium fori quod vocatur ad clericos attinens. — Iurisditionem criminalem., i. e. ius Ecclesiae puniendi filios errantes idem Constantinus M agnovit statuens, ut episcopi ex iudicatura civili eximerentur. Quod privilegium Iustinianus imperator etiam in ceteros clericos extendit in causis ecclesiasticis exclusive, in causis, quae mixtae vocantur, concurrente etiam potestate civili. Tempore procedente Ecclesia etiam de laicis ius dicere consuevit, initio solum per iudicia „synodalia“, in quibus episcopi simul cum principibus regiones permeantes graviora delicta condemnabant, etiam mixta, quin nonnulla omnino civilia, quae potestas civilis vel prorsus neglegebat

²⁴⁾ *ibid* X. — *Fontes rer. boh.* I, 48.

²⁵⁾ KRYŠTŮFEK, *Všeob. dějepis církv.* II, 369.

²⁶⁾ DUDÍK, *Dějiny Moravy* I. 162.

²⁷⁾ PASTRNEK, *Děj. apošt. slov.* 97—99. — DÜMLER *Methodius*, 48.

²⁸⁾ HARING, *Grundzüge d. Kirchenrechtes*, 584. 595.

²⁹⁾ AICHNER, *Compendium Iur. Eccl.* ed. II. 640.

³⁰⁾ *Matth.* 18, 15; *1 Cor* 6, 1.

vel non satis persequebatur. Cum aliud forum tum deesset, hae Ecclesiae Romanae praerogativae maximi momenti erant atque utilitatis.³¹⁾

Etiam iurisdictionem vindicativam archiepiscopo Methodio esse concessam bulla Hadriani P. II. testatur verbis: Si quis — ausus fuerit aliter seducere vos — sit excommunicatus.³²⁾ Optime ad hunc locum Snopek ingeniosus ille historiae Cyrillomethodianae investigator ante Coceli legationem eum episcopum fuisse,³³⁾ cum iudicium ecclesiasticum sine episcopo fieri non potuerit.

Omnibus, quae de iurisdictione Apostolorum nostrorum diximus, consideratis, eos in Moravia cum potestate et auctoritate s. Sedis laborasse cognoscimus, quia Romanus Pontifex eorum acta priora approbavit et Methodium ad archiepiscopi legatiquae dignitatem promovit. Ergo longe distant a veritate ii, qui iurisdictionem ss. Fratrum aliunde atque ab ipso Papa Romano derivant, ut iam supra de Lapôtre, egregio vitae Apostolorum Slaviae scriptore, commemoravimus. Si iurisdictionis fons proprius est episcopatus, necessario concludendum est, iurisdictionem ss. Cyrilli Methodique fuisse Romanam, cum eos Romae episcopos ordinatos esse constet, quod nemo negabit.

Václav Seifert, Conspectus litterarum.

P. Gaetano Romano, Cenni storici della Missione della Compagnia di Gesu in Grecia. Con fotoincisioni — Palermo. Stab. Tip. G. Bondi e C. — 1912 pag 358 Pret. 4 fr.

Historiam missionum quas in Graecia societas Iesu iam inde a saeculo XVII susceperit, non modo catholicos huiusmodi operum studiosos iuvare, verum etiam orthodoxos quos olim Ecclesia Catholica in sinu laeta foverit maxime ut resipiscant movere dixerim. Quamvis enim nostra aetate orthodoxos graecos ad catholicam fidem adducendi spes fere nulla fulgeat, atque missionariorum opera ad catholicos tantum in romana communione servandos impendatur, num quis tamen divinae Providentiae recondita mysteria se nosse et manum Domini breviorum esse credet? Nonne saepe salutem ab inimicis nostris allatam esse videmus?

Quam bonam spem, contra suam ipsius spem, in nobis suis „cenni storici della missione in Grecia“ firmat P. Caietanus Romano. Qui, cum ipse quoque missionarius in insulis maris Aegaei per annos viginti fuisset, persecutus diligenti studio quae a Patribus Societatis Iesu in bonum animarum per duo saecula erant gesta, graecae missionis historiam iam inde ab anno 1669, quo primum ea coepta est institui, perpulchre enarrat.

Volumen divisum est in tres partes, quarum prima graecam missionem complectitur, insulam Tenum regente republica veneta; altera scriptor quae

³¹⁾ HARING, Grundzüge d. Kirchenrechtes, 584. 595.

³²⁾ Vita Meth. VIII. — Fontes rer boh. I, 46.

³³⁾ SNOPEK in Sbornik hist. krouž. 1896, 165. In Vita Method. VI scriptum legimus eum primo consecratum esse presbyterum tantum, unde a papa filius nominatus sit. Red VORONOV ait loco *ноповиство* legendum esse *episkopstvo* et Snopek loco syna legit brata Cf. NOVOTNÝ České Děj. I 330; SNOPEK List pap. Hadr. 59. Huic Cocelius nimis obnoxius Germanis fuisse visus est, quam ut huiusmodi opus imperii hierarchiae certe ingratum audere posset. At non videtur effici eum aliorum principum legatis (Rastislai et Svatopluci) suos adiungere non potuisse. (Cf. NOVOTNÝ C. Děj. I 331). — Etiam CHRISTIANI legenda (cap. I.) Moravos petiisse, ut Methodius archiepiscopus constitueretur, commemorat.

sub Turcarum ditione, cum ad orthodoxos catholici graeci deficerent, acta sunt, ad annum 1763 persequitur, tertia narrationem ad nostra usque tempora absoluit. Scriptor in narranda graeca missione usus est manuscriptis P. Ferrari, missionarii in insula Teno qui suas memorias ad annum 1763, rebus omnibus ab instituta missione commemoratis, reliquit.

Missio primum Patribus Venetis commissa erat deinde sub P. Roothan Provinciae Siculae, cuius socii nonnulli in ea multos annos laboraverunt, adiuncta est.

Additae sunt libro tres appendices, in quibus missionis syrensis institutio describitur, atque alia multa proferuntur quae ad cognoscendas res Aegaei insularum perutilia sunt queque magna animi oblectatione leguntur.

Itaque volumen P. Romano usui esse omnibus habemus, maxime vero iis qui orthodoxis cum Ecclesia catholica reconciliandis dant operam.

Dr. Domenico Prestifilippo.

Adolfo Cellini. L' autenzia del capo XXI. dell' evangelio giovanneo e la investitura di S. Pietro nell' ufficio di pastore ecumenico. Senis, typ. S. Bernardini, 1912, p. XXIV—133.

Ad nostra studia pertinet hoc opus, licet fere nihil dicat de theologis graecis aut russis, qui primatum romanum adorti sunt. Totus in eo est scriptor ut refellat modernistas et protestantes ac veteres catholicos.

Opus duas in partes distribuitur, quibus praefiguntur prolegomena. Examini subicitur caput XXI Evangelii S. Ioannis ac rationibus et interioribus et exterioribus vere a s. Ioanne id scriptum esse ostenditur, atque quae contra afferuntur C. diluit. Deinde quid loco eiusdem Evangelii XXI, 15—17 vere significetur explanat. Eis respondet qui lesum Christum, cum diceret Petro: *Pasce oves meas*, ipsummet inter suos apostolos iterum recepisse tuerentur, vel tantummodo hortatum esse, ut fidem praedicaret. Suis verbis Iesus Christus ei primatum iurisdictionis dedit in universam Ecclesiam. Ad finem adiuncta est Dissertatio de testimonio Evangelii S. Lucae, XXII, 31—32, qua ostenditur Petrum habuisse primatum, propterea quod suos fratres in fide confirmandos suscepit.

Ut testes traditionis graecae scriptor locos Theophylacti Bulgari et S. Theodori Studitae affert.

Sana doctrina nitet opus, quamquam accuratio deest in locis afferendis et complura perfunctorie tractantur.

A. Palmieri.

Abbé Jules Claraz, Le Mariage des Prêtres. Paris, 1911. 1912. (456 pag.)

Hunc librum, ubi primum editus est, Archiepiscopus Parisiensis prohibuit, mox S. C. Indicis damnavit. Nec mirum, non tantum Occidentalis Ecclesiae disciplinam offendit, sed etiam catholicae doctrinae adversatur.

Principium, quo nititur scriptor est: exceptis paucissimis homines in perpetuum se continere non posse (p. 70). Fuse, sed crudo, quin nonnunquam obscaeno, sermone rem suam exponit et probare conatur, argumento ex vehementi concupiscentia qua homines passim exagitantur ducto. Concludit igitur votum castitatis, a subdiaconis ritus latini in ipsa ordinatione emissum, non esse de bono meliore, immo esse de re quae hominum vires superet, nec proinde ullam obligationem gignere (p. 126). Addit vitam in perpetuum et ex obligatione caelibem legi revelatae repugnare et in Scripturis reprobari; Dominus Noster, inquit, non commendavit virginitatem magis quam matrimonium (p. 128 sq.). Quodsi S. Paulus fideles ut se contineant hortari videtur, ex opinione quadam propria locutus est, et propter peculiare temporis rationes (p. 153), quippe ratus imminere finem mundi.

Advertit quidem scriptor semper in Ecclesia, ab eius exordiis, ascetas, virgines aut monachos fuisse, qui vitam ducerent caelibem et asperam. Sed factum explicat ex morbida phantasiae excitatione, qua fiat, ut Syri et Aegypti, apud quos studium asceseos initio floruit, se pronos exhibere soleant ad absurdas opiniones amplectendas (p. 357; cf. p. 363). Fatetur tamen numerum eorum qui continentiam profitebantur supra modum brevi crevisse, inprimis inter clericos; causam autem repetit a „morali morbo quod illis temporibus

vigebat“ (p. 365); et cum concedere debeat complures eosque illustrissimos inter sanctos Patres, maxime Ambrosium, Augustinum, Hieronymum, magnis laudibus caelibatum matrimonio comparato extulisse, contendit eos a prima Christianorum traditione deflexisse (p. 373), miraturque quod viri tanti ingenii ita decipi potuerint (p. 374); contra, Iovinianum et Vigilantium a nota haereseos ipsis inusta, magna saltem ex parte vindicat (p. 371 sq.); dolet vero vehementer quod postea universus doctorum et theologorum chorus errantium Patrum vestigiis institerit (p. 385).

Hanc suam thesim miser ille scriptor per 456 paginas persequitur, nec dubitat sententias quae offensionem sunt argumentis intexere. Nihil turpe ei videtur esse in his quae naturalia sunt, et verbis quae pro reverentia legentium referri nequeunt in omnem pudoris sensum invehitur (p. 5 sq.; 165 sq.; 246 sq.); artifices laudat qui nuda mulierum corpora pingunt (p. 286); christianam doctrinam de voluntariis incommodis et de sensuum castigatione sollemniter condemnat (p. 286; 318 sq.).

Quomodo sacerdos rite educatus ad hunc protervitatis excessum pervenerit, facili negotio colligitur ex iis quae ipse haud obscure innuit: quamdiu in seminario mansit (p. 62, 85), quin etiam quod verisimile est, per nonnullos annos postquam egressus est, pie et caste vixit; paulatim autem fervor eius exstinguebatur (p. 86); cavenda illa neglexit quae clericis in sacris canonibus salutariter praescribuntur et quae ad custodiam castitatis necessaria sunt; liberius cum mulieribus conversatus est (p. 85 sq.); mox cor et caro eius ingenti incendio flagrare coeperunt, concupiscentia combustus est, et nunc quasi erotico furore videtur insanire (p. 11, 77 sq., 98 sq.).

A suo Ordinario suspensus, Claraz militiam clericalem deseruit, et ad castra eorum qui contra castitatem dimicant, transfugit. Lugendus sane exitus, sed unius viri, et hinc potissimum apparuit quantopere ab eius sententiis communis fidelium et pastorum opinio abhorreret. Vel minimo favore apud presbyteros Galliae privatus, etiam adeo visus est a ceteris discrepare ut in eorum coetu remanere non potuerit. Reiecta continentia, necessaria fere rerum consecutione ad apostasiam adductus est; nam in nostris regionibus neque clerus neque populus christianus quicquam antiquius habent quam perfectam sacerdotum castitatem.

Henri Auffroy.

*Luc. Choupin. Valeur des Décisions Doctrinales et Disciplinaires du Saint-Siège.*² Par. 1913 X + 617.

Liber, unde discere possunt orthodoxi, quando catholici theologi existiment rem infallibiliter a pontifice romano declarari. Determinanti assensum qui decreto non infallibili debetur, non semper assentiendum est (ferme p. 88—90; chimérique ou à peine possible p. 90; maxime vero p. 93: moralement certaine). Simul discere possunt, cur theologi catholici aliquid docere possint quod pro re ita certa, ut ab errore immunis sit, non habeant: quod mandatum est. Generatim scriptoris iudicium sanum et acutum est.

H. I. Hamilton DD. The People of God. Vol. II. the Church. Oxford 1912.

In hoc libro in quo elucet cum magna scriptoris eruditio, tum sincerus amor veritatis ac praecipue laudandum omnium ecclesiarum unionis desiderium, D. Hamilton necessarium esse ut in ecclesia Christi episcopatus cum ordinandi potestate ab apostolis derivata simulque sacerdotium cum potestate ab iisdem accepta celebrandi Eucharistiam existat, ostendere conatus est. In primis quattuor capitibus Status ecclesiae Hiersolymitanae describitur et quid de Mosaica Lege, de Iudaismo, de ministerio circa gentes exercendo de ipsa denique ecclesia, senserint apostoli explicatur. Ibi multa praeclare dicta et attentione digna inveniuntur. Sed ubi primum missionem essentialemque dignitatem apostolorum quasi essent tantummodo viri a Christo ipso electi ut essent spes vitae et doctrinae testes et mitterentur ad invitandos homines ut ingrederentur Regnum Messianicum, definire coepit, statim apparet id quod, venia sit verbo, totius libri fundamentale vitium est nempe omnis divinae proprietate iurisdictionis negatio. Nusquam in Novo Testamento auctoritatem apostolicam definiri concedendum utique est; sed ex factis notio et ex usu ipsum

ius a critico vero facile erui possunt: atque quamvis minime negandum sit, in parva illa ecclesia Hierosolymitana, propter parvum fidelium numerum, propter omnium caritatem et unionem propter apostolorum qui eam a Domino edocti erant humilitatem, multa quae auctoritative decerni poterant magis communi consensu disposita esse, nihilominus qui apostolos tantummodo „centrum gravitatis ecclesiae“ vel „centrum unitatis et activitatis“ vocat (p. 68) vel etiam apostolis illam auctoritatem convenire quae proveniret ex eo quod a Messia essent electi ideoque melius Eius voluntatem et intentionem cognoscerent, neque hanc esse autocraticam ad gubernandam Ecclesiam potestatem sed solum illam repraesentandi, et in eius nomine cum fratrum omnium consensu decernendi et agendi facultatem dicit, ille manifeste nec totam veritatem assequitur neque textibus Novi Testamenti omnibus satisfacit. Num posthaec mirum si deinceps etiam affirmet neque magisterium in ecclesia divinam supponere missionem (p. 196) neque determinatam aliquam gubernii formam esse essentialem (p. 195)?

Immo idem initialis error non modo cur non recte intellegatur Ecclesiae *Unitas* (de qua agitur in ultimis capitibus), in causa est, sed etiam ut sufficienter non explicetur origo hierarchiae ecclesiasticae (cap. V-VIII), effecit. Si enim legitima auctoritas in gubernantibus ecclesiam non necessario a Christo per successionem apostolicam derivari debet, reducitur haec successio ad meram potestatis consecrandi et ordinandi transmissionem, quod utique non modo prorsus alienum est a doctrina totius antiquitatis verum etiam a recto intellectu ipsius Novi Testamenti. Sed hic praetereunda non est praeiudicata quaedam rationalistarum opinio quae totam methodum huius auctoris vitiat: secundum decreta evolutionisticae theoriae admittit tanquam principium officia ecclesiastica fuisse creata secundum necessitates, proindeque ex necessitatibus ecclesiae illius temporis diiudicandam esse naturam officium presbyterorum episcoporum et diaconorum (p. 76—78). Cuius principii utilitatem, si tamen recte intellegitur, nolim utique negare. Siquidem Christum et apostolos inutilia non instituisse certe admitto, sed falsum et perversum, in quantum intellegitur, ut facit scriptor, in sensu evolutionistico, et exclusivo, ita ut neque Christus instituendo novam suam societatem potuerit et futuras eiusdem necessitates praevidere et omnia secundum illam praescientiam praeparare, neque apostoli quidquam disponere secundum praconceptam ideam potuerint, sed necessario omnia secundum praesentes et hic et nunc exurgentes circumstantias disposuerint: quod utique est ipsis non modo propheticum spiritum sed etiam illam praevisionem quam in viris ingenio praeditis admiramur a priori denegare. Uniformitas (organisationis), inquit, nullo modo adscribenda est alicui conatui ut ecclesiae inter se similes evadant, neque ulla forma divinitus commendabatur, sed haec uniformitas eo quod eadem necessitates eandem hierarchiam ubique produxerint, nata est. (p. 117). Gratuita prorsus affirmatio quam nullus textus confirmat. Hanc necessitatem utique intellegit scriptor necessitatem celebrandi Eucharistiam ita ut tandem aliquando hierarchia ultimo fundetur in Christo: sed haec consideratio non salvat theoriam siquidem gratuito et contra totam antiquitatem incipiendo a Clemente Romano negat Christum ipsum quidquam disposuisse circa institutionem ministrorum Eucharistiae: et sane ad hoc ut verba Clementis, discipuli Pauli et Petri affirmantis apostolos iussu Christi ipsius instituisse tum presbyteros, tum modum successionis disposuisse merito reiciantur tamquam mera subiectiva interpretatio factorum, non sufficiunt coniecturales hypotheses quae ultimatim in argumento silentii fundantur. Et qualem tandem intellegit consecrandi et ordinandi potestatem? Putatne scriptor successionem apostolicam esse necessariam ad validam celebrationem et ordinationem? Quae est illa Eucharistia „fractio panis“, sacramentum unitatis in qua ultimo omnia fundantur, quae est unica causa et argumentum unitatis organicae uti vocat eam, ecclesiae Christi? De his prudenter silet.

Quodsi quis, in ceteris eruditionem scriptoris admiratur, si multa optime dicta praedicat, si in specie bene refutatam affirmat hanc theoriam hodiernam secundum episcoporum et presbyterorum officium primitus ad administrationem temporalem tantum pertinuisse dicitur, uno verbo multa

in illo libro inveniri quae sint consideratione digna, laudat, certe eo libentius assentiar quo liberius ea quae minus placent, exposuerim. *E Hocedez.*

J. B. Bury, A History of the Eastern Roman Empire from the fall of Irene to the accession of Basil I (A. D. 802—867) Lond. 1912 XII+530.

B in nonnullis rebus Brücknerum sequitur. Moravorum ad christianismum convertendorum auctorem Photium fuisse putat (p. 393), qui eam regionem auctoritati Romae subtrahere vellet. Litterarum formas consulto a graecis distractas librosque sacros in macedonicum conversos non esse nata hoc Photii consilio sed priore quod patriarcha et imperator cepissent Bulgarorum conciliandorum (p. 383. 399).

Cum plus quam tres annos laborassent, fratres Constantinopolim redierunt a. 867 (p. 399). Eos cognovisse se nihil efficere posse nisi cum papa convenirent facile colligitur. Cum Photius interim a munere amotus esset, dubitare non poterant, quin benigne acciperentur, si Romam s. Clementis reliquias dono ferentes venirent (p. 400). Ubi Methodius et tres discipuli Moravi presbyteri consecrati sunt; Moravia autem sede episcopi donata non est et Passoviae obnoxia mansit. Pannoniae episcopus Methodius non evasit nisi posterius.

Schismatis originem in cupiditate imperii, saltem in eius specie (itaque in Nicolai I. imprudentia) *B.* videtur ponere (p. 201). Certe Photium occidentalium (imprimis Ludovici imperatoris) adversus papam ratione ad iura a Nicolao violata defendenda confirmatum esse existimat et Ludovicum si orientales suo imperio se subiecissent papam a patriarchis orientis excommunicatum Roma expulsurum fuisse ut tyrannum haereticum. Concilium enim a. 867 duorum imperatorum consensum secutum esse.

Ecclesiae cum imperio a Constantino coniunctae legem primam fuisse *B.* ait: imperatoris principatum (supremacy); he not only protected, he governed the Church. Inter monachos adversarios exstitisse patriarcharum imperatoribus obsequentium. A Theodoro Stud. imperator patronus seu tutor ecclesiae habebatur, ecclesia autem libera; sedes vero romana suprema ab eo ducebatur. Simul tamen monachi Studitae monachis ius tribuebant de episcopi administratione libere iudicandi seditio et si eis non probaretur, eius communionem recusandi. Ea ratione seditio schismatica committebatur. Ceterum monachi ab utraque parte stabant; Theophanes Sigr. ecclesiam imperatori subiectam comprobabat.

De Photii causa *B.* dicit Nicolaum se interposuisse ut sibi consuleret, non ut Ignatium defenderet; si Illyricum et Calabria a sede byzantina Romam translata essent, futurum fuisse ut Photius a papa agnosceretur. Ex eo quod Photio repugnaretur ita, ut Michaele mortuo Ignatius restitueretur, colligi non posse partem quae libertatem ecclesiae tuebatur maiorem fuisse; veri similis esse Ignatianos ductos esse magnam partem by personal ties and considerations, privato Ignatii studio, Photii fastidio (p. 207). Quibus de rebus *B.* saepe cum *Lebedev* disputat. Legem quam Nicolaus Photio consecrando opponeret — de laico ad episcopatum non proxime provehendo — praetextum fuisse exemplis Tarasii a concilio VII. comprobati, Nicephori communionem cum Roma coniuncti, Photii ipsius a Ioanne III. non reiecti docet.

J. B. Thibaut, Monuments de la Notation Ekphonétique et Hagiopolite de l'Eglise Grecque. Petrop. 1913.

Scriptoris propositum est 1. originem et naturam musicam eruere accentuationis prosodicae graecae, 2. docere eosdem esse accentus prosodicos et signa notationis ecphoneticae ecclesiae byzantinae, 3. naturam notationis hagiopolitanae definire, cognoscere quando orta sit et quomodo progressa, 4. quaedam ad quaestiones de origine et progressu psalmodiae, hymnodiae, liturgiae christianae pertinentia proferre.

In p. I^{ae} (not. ecphon.) cap. 1. (p. 3—30) *Th.* proficiscitur a Codice Sinaitico (Petrop.), quem saec. 4. scriptum esse existimat; alia vetera monumenta (fragmenta) s. 4. et 5. recenset; evangelium s. 6. et alia fragmenta, Pauli epistulas s. VIII. et enchiridion liturgiae saec. IX.

P. 20 ss. ordinem missae catechumenorum codicis Sinait. L. examinat et concludit: eam, quae in ecclesia orientis recepta sit, processionem sollem-

nem oblationis imaginem esse secundi adventus Domini sumpta res est e cap. 19. Apc.; inde etiam insignium pontificiorum originem explicat (p. 21). Ad id quod statuit: christianum missae sacrificium esse evangelium adventus regni Christi, docendum affert p. 23 Clementis liturgiam, Doctr. Ap., Can. Hippol. 250.257. P. 25 Apc. 19 et magnum introitum ritus graeci et gallicani inter se comparat. Alia quoque de rebus liturgicis commemorat.

Cap. 2. (p. 31—52): Système de la notation ekphonétique, varia monumenta liturgiae s. VIII—XII recenset et quae eruit his verbis comprehendit p. 52: La lecture solennelle des saints Evangiles et des Épitres apostoliques est le principe occasionnel de la notation ekphonétique grecque. Les signes cheironomiques de la prosodie dont l'emploi régulier s'affirme définitivement dès le VI.^e siècle constituent au VIII.^e s. la base de cette première séméiographie musicale.

P. II. (p. 55—148) exponitur de Notation hagiopolite.

Liber, cum nimii veneat, solum magnis bibliothecis destinatus videtur esse.

V. *Jagić*, Entstehungsgeschichte der kirchenslavischen Sprache² Berl. 1913. 540 p.

De ss. Cyrillo et Methodio hae sunt scriptoris sententiae: Methodium antequam ad Moravos proficisceretur iam Bulgaris convertendis dedisse operam error est. Constantinus autem philosophiae professor et archaeologus qui cum Methodio iam apud Chazaros fuerat, litteras Slavicas iam Byzantii composuit aliaque necessaria paravit. In Moravia primo omnia parabant, ut ritus slavicus introduci posset; nec enim sacerdotes habebant aut consecrare poterant. Interea (864) Rostislaus a Ludovico victus est nec eodem modo iis favere pergere potuit. Qui Romam profecti ab Hadriano benigne excepti sunt. Hadriani II. epistolam 869 contra Vondrák et Hýbl falsam esse defendit. Cum Rostislaus bellum gereret, Methodius, nondum episcopus, Pannoniae convertendae vacavit. Quod opus cum floreret, Kocel ut a papa Methodium episcopum peteret, adductus est. Romae regionem Bulgaris finitimam eo tempore neglegendam esse non putarunt. Episcopum factum Kocel a Germanis defendere non potuit, Svatopluk noluit. Liberatus ad Svatopluk principem profectus est, qui a Carlomano missus, ut in Moravia seditionem contra Francos ortam exstingueret, liber esse malens cum Moravis Bavaros vicerat. Romae antea fuisse non videtur. Io. VIII. eum Moravis dedit ita, ut liturgiam Slavorum lingua fieri vetaret. Cui Methodius non oboedivit. Franci de eo Romam scribebant, domi eius orthodoxiam in dubium vocabant. Ioannes presbyter Venetiis ortus, qui simul cum Methodio in Moravia degebat, fortasse in aula principis, obtinuit, ut Romam mitteretur Methodium accusaturus. Methodius Romam profectus victoriam reportavit. Sed brevi post Methodius Romam scripsit de Wichingo episcopo querens, qui factioni bavaricae concessus erat. Methodium etiam Byzantium profectum esse credit et liturgiam slavica iam Methodii tempore apud Bulgaros Croatasque introductam esse coicit. Pavlovii sententiam, qui quaedam additamenta ad tractatum de privilegiis sedis byzantinae, quibus primatus romani episcopi defenditur, iam Methodii tempore in slavica eius translatione fuisse, non improbat. A. 885 vel 886 a Stephano V. episcopus quidam ad Slavos missus est. Gorzodus a divinis officiis cessare iubebatur, donec Romam veniret. Sed, cum Svatopluk Wichingo faveret, non Gorzodo, Romam profectus non est. Wichingus autem litteras finxit, quibus pateret Methodium iure iurando promisisse, a slavica liturgia se esse destitutum. Propter fragmenta kioviensia quae dicuntur coicit discipulis dispersis liturgiam slavica in aliquibus monasteriis mansisse et ab a. 900. satis liberam fuisse. Evangelium rhemense apud Ruthenos s. XII. scriptum esse putat. Deinde de Clemente Bulgaro exponitur et de Slavorum litteris.

Paul Renandin, La doctrine de l'Assomption de la t. s. Vierge sa définibilité comme dogme de foi divine catholique. Paris (Téqui) 1913 (321).

Scriptor opus difficillimum suscepit, cui par fuisse non videtur. Etsi enim multa bona attulit, tamen in argumentis eliciendis diligentia et claritas desideratur.

Ex iis quae decuisse Deum dicuntur nihil certi colligi posse satis bene docet p. 52; addere potuit nos de statu corporis mortalitate exuti et de rebus caelestibus multo minus iudicare posse quam de corporis venustate, cum de ea B. Mariae V. tribuenda quaeratur. Item p. 63 docet assumptionem ex immaculata conceptione concludi non posse, etsi p. 65 minus sibi constet: discrimen enim inter mortem et putorem non explicat.

Christianae memoriae quam affert vim non examinat; nec enim translatam esse domum lauretanam aut effigiem Christi donatam esse Veronicae unquam definiri poterit. (p. 38. 75. 76. 112.). P. 82. responsum post lect. 7. S. Martini videtur ignorare, nec de historica vocis assumptionis origine quaerit. In Epiphanio teste adducendo praestigiatores se praebet. Ceterum F. G. Holweck (The Assumption of the blessed V. M. in Americ. eccl. review 1910 LXIII) rem melius vix gessit. Cf. quae ea de re J. Ernst editurus est. Eorum quae Russi hac de re scripserunt velut K. Siličenkov, Prazdnik Uspeniā Božiej Materi (V. i. R. 1901 kn. 13—4), N. Malinovskij, O Bogē Iskupitelē Kam. Pod. 1906 193—6 nusquam ratio habetur.

Emolumenta definiendae Assumptionis facile conspiciuntur, si rem revelatam esse probatum sit; tamen cum § 3 cap. VIII. Bertrandum secutus contendit id profuturum esse convertendis schismaticis et haereticis, rei peritum se non praebet; fore ut eo die ecclesia orthodoxa cum catholica reconcilietur quo definitum sit corpus B. M. V. assumptum esse in caelum nemo sapiens dixerit. Utilius scriptor libro naturae divinitus scripto interpretando dedisset operam, ut homines doctos rerum specie in errorem inductos ecclesiae reconciliaret.

W. Sanday. The primitive Church and Reunion (Papers reprinted from the „Contemporary Review“). Oxford 1913 142 p.

Scriptor illustris de ecclesiae initiis maxime Harnackium et Cuthb. H. Turnerum (Cambridge Medieval History, v. I.: Organisation of the Church) sequitur; tamen contra Harnackium dubitantem, num vox ecclesiae Christo ipsi tribuenda sit, monet ecclesiam iam ante Christum fuisse, a Christo eam conditam non esse; vocem quae circiter centies apud LXX inveniatur et in primis Pauli epistulis definite usurpetur Christo tribui posse, etsi fortasse vim ita definitam ei non subiecerit.

De dissensionibus componendis monet non esse dogmata afferenda vocibus infinitis enuntiata, sed id quod continent corpore esse induendum. Hac ratione psychologia non neglecta „room would be given for those unconscious and semi-conscious processes of adjustment and approximation of which the mind is capable when it is left to find its way without hindrance and without dictation (p. 199). Non esse mirum, si sua quaevis secta tueatur: the sacrifice of that which is distinctive is often just the sacrifice of that which is in a sense most valuable, of the special contribution that the Church or society has to make to the fullness of the stature of the Body of the Christ.“ (p. 34.) — De unitate sentit cum Talbot episcopo: „Unity is, in fact, almost a synonym for the life of the body of Christ. It is living, and not abstract; and has the fullness which belongs to life. True unity than would express itself mentally in unity of conviction; morally, in unity of heart or feeling, and of conduct or purpose; and structurally, in unity of order; unities all of them containing within them room for rich varieties of intellectual method, of moral temperament, and of detailed plan. It is an utterly defective view of unity, which narrows it to any one of these. — De parte romana in unitate restituenda spem videtur concipere e sententiis Nicolai archiep. japonensis, Bonomelli ep. cremonensis et cuiusdam professoris (a Romanes p. 4. 220-3. 225) laudati.

Lefferd M. A. Haughwout, A World Movement for Christian Unity. 1914 (The World Confer. n. 26) 21 p.

Sicut s. XVI. studium apparuit propriis opinionibus sequendis discedendi ab unitate ceterorum, ita hoc tempore studium apparet unitatis restituendae. Inter impedimenta huius rei recenset consilium foederis inter sectas ineundi sine unitate, consilium acquiescendi in reconciliandis ecclesiis inter se minus differentibus, morae impatientiam. Negat unitatem alienam esse a varietate:

aequabilitatem olim et a Romanis et ab Anglicanis et a Lutheranis armorum vim habuisse quibus singulae partes defenderentur: aequabilitatem non solum credendi sed etiam significandi, cogitandi, Deum colendi. Nihil obstare ne unum caput constituatur neque negari posse eius rei quaedam emolumenta (p. 18). Denique unitatem reficiendam esse non solum inter sectas huius saeculi sed inter ecclesias omnium saeculorum. „Continuity with the future can only come from continuity with the past“ p. 21.

Echos d' Orient 1909—1913 (XII—XVI).

S. Salaville, Les fondements scripturaires de l' épiclese 1909. 17—27; 167—175; 281—286; 335—342 (Cf. Sl. l. th. VI 131).

M. Jugie, L' Immaculée Conception chez les Russes au XVIIe siècle 1909, 66—75.

M. Jugie, L' Immaculée Conception en Moscovie au XVIIe siècle 1909, 321—329.

S. Salaville, La liturgie décrite par saint Justin et l' épiclese 1909, 129—136; 222—227. S. locum Iustini τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαρισθεῖσαν τροφήν reddendum esse existimat verbis nourriture eucharistiée par la formule de prière qui vient de lui, et cum alias preces tum verba quibus a Christo panis dictus est corpus et vinum sanguis complecti.

J. Bois, L' église orthodoxe en Pologne avant le partage de 1772. 1909, 227—233; 292—297.

S. Salaville, Le nouveau fragment d' anaphore égyptienne de Deir Balyzeh. 1909, 329—335.

J. Bois, Lutte de l' orthodoxie contre l' union en Pologne avant 1772. 1909, 349—354; 1910, 25—34; 87—94; 154—162.

Cr. Armanet, Le mouvement des Bulgares vers Rome en 1860. 1909, 355—362; 1910, 101—110.

M. Jugie, Michel Glykas et l' Immaculée Conception 1910, 11—12 (De loco Annalium M. 158, 440).

Règlement de l' Église arménienne-grégorienne en Russie 1910, 35—41; 94—100.

P. de Puniet, A propos de la nouvelle anaphore égyptienne 1910, 72—76. Contra Salaville *P.* defendit etiam anteconsecratorias epicleses fuisse.

S. Pétridés, Les oeuvres de Jean Eugenikos 1910, 111—114; 276—281. Ioannis Eug. refutatio decreti dogmatici florentini edita est a Dositheo Hierosol. Τόμος καταλλαγῆς lassii 1692 p. 206-273; exstat etiam in cod. Paris. 1218 fol. 137 ss. et Monac. 256 f. 342 ss.

N. Jugie, Saint André de Crète et l' Immaculée Conception. 1910, 129—133.

S. Salaville, La double epiclese des anaphores égyptiennes. 1910, 133—134. *S.* defendit alteram epiclesin eamque veram etiam in canone fragmenti inventi in Dêr Balyzeh post historiam cenae recitatam esse.

R. Janin, Formation du patriarcat oecuménique de Constantinople 1910, 135—140; 213—218. Post Vailhé (Dictionn. de théol. II. 1319 ss. Constantinople) exponitur unde patriarcharum Cp. potestas orta sit.

A. Shipman, Les catholiques de rite byzantin en Amérique 1910, 173—182; 193—198. In Gallicum convertitur quod editum est hac de re in The Catholic Encyclopedia VI 744—752.

M. Jugie, Photius et l' Immaculée Conception 1910, 198—201. Quae ex homiliis de Annuntiatione et ex homilia de Nativitate editis inter Photii homilias Cp. 1901 pro dogmate catholico colligi possunt exponuntur.

A. Catoire, Deux anomalies du droit d' appel dans l' église orthodoxe 1910, 219—224. Si bene intellexi hoc modo scriptor e necessitate libertatis ecclesiae efficere vult necessitatem primatus: Lites in rebus disciplinae inter ecclesias particulares orsae componi non possunt nisi adsit aliqua auctoritas iis superior. Haec auctoritas aut est alicui arbitro donata ab ipsis partibus aut iure divino inest in aliquo capite ecclesiae, sive hoc caput est romanus pontifex sive concilium oecumenicum. Illud statui videtur in encyclica patriarcharum orientalium a. 1848 (Mansi 40, 402) et arbitrium committitur imperio civili, sive omnino sua sponte sive secundum legem providentiae divinae. Si

providentia divina hoc postularet, cavere deberet etiam, ne status perperam abuteretur hoc arbitrio; quod tamen non fit. Quapropter concludendum est Deum velle, ut ecclesia habeat auctoritatem civili imperio non obnoxiam. Si igitur arbitrium sufficere putent orthodoxi, potius romano episcopo quam portae Turcarum munus arbitri committendum esse. Sed arbiter potest componere lites aliquando, non tamen semper. Necessarius igitur est iudex supremus ecclesiasticus, nisi aut litibus ecclesia sit laceranda aut ecclesiae libertas eius rebus ab imperio occupatis, perdenda. Iam vero eiusmodi potestas non est concilium oecumenicum, quia etsi sumatur esse institutum a Christo litium remedium, non ab imperatoribus, tamen non semper praesto est. Dicit quispiam: ne romana quidem ecclesia ab omni potestatis civilis usurpatione defendere sese potest aliter nisi priscae ecclesiae modo in catacumbas descendat; et sicut sine papa ex iis ascenderit, ita sine eo reverti eam eo posse, si providentia divina id permittere velit. — Praeterea agitur etiam de necessitate auctoritatis qua doctrina definiretur ad arcendam anarchiam in credendo (an solum in opinando?) qua vita ecclesiae tolleretur. Sed quam scriptor dicit esse logice necessariam — negato primatu — anarchiam, non docet re ipsa evenisse nec ostendit vitam ecclesiae orthodoxae extinctam esse.

S. Salaville, Consecration et epiclesse, d'après Chosrov le Grand 1911, 10—16. Scriptor in priore commentationis parte efficere conatur hunc Armenorum episcopum (†972) verbis a Christo in ultima cena adhibitis mutari panem in corpus Christi existimasse; nititur imprimis eo quod Xosrov Ancevacî consecrationem dicat ipsius Christi actionem et quod Io. Chrysostomum magni faciat, quem vim consecrandi verbis illis a sacerdote repetitis tribuisse scriptori persuasum est. Felicius in parte posteriore negat e Xosrovii verbis manifestum esse epiclesi hanc vim ab eo tribui; cur tamen omnino sileat de argumento, quod duci potest e verbis „Après avoir prié nous professons .“ non intellegimus. Etiam a transsubstantiatione negata S. Xosrovium purgare conatur (p. 15), acsi in sententia Theodoretî non possit dici merum panem et vinum in incorruptibilitatem corporis ac sanguinis Dei transmutari (cf. AAV VIII 104—5; 106').

M. Jugie, Le Protévangile de Jacques et l'Immaculée Conception 1911, 16—20. *J.* coicit primitus scriptum esse ἐλάφη de Annae conceptione marito, qui 40 dies afuerat, annuntiata; inde colligit B. Mariam V. a peccato originali immunem creditam esse inde ab eius origine.

Statuts de l'exarchat bulgare 1910, 351—5; 1911, 20—24; 170—176; 212—216.

S. Pétridès [S. Rabois—Bousquet], Chrysobulle de l'impératrice Théodora (1283) 1911, 25—28. Editur documentum hoc e cod. Paris. 2075, quod concilium ab Andronico post mortem Michaelis Palaeologi ab ea postulavit.

S. Vailhé, Annexion de l'Illyricum au patriarcat oecuménique 1911, 29—36.

S. Vailhé, Pour l'union des Églises 1911, 48—51. Gerasimi metrop. Berytensis litterae pastorales de ecclesiis inter se reconciliandis describuntur. (Cf. 1911 p. 244).

Jean-Marie, La crise religieuse en Roumanie 1910, 48—50; 183—4; 242—244; 1911, 51—54.

S. Vailhé, Formation de l'Église bulgare 1911, 81—89; 152—161.

E. Montmasson, Organisation de l'Église grecque orthodoxe de Constantinople 1911, 110—116; 161—166.

E. Montmasson, Organisation de la communauté grecque orthodoxe de Kadi-Keuî 1911, 302—308.

G. Bartas, Rapprochement entre le patriarcat oecuménique et l'exarchat bulgare 1911, 116—122.

S. Pétridès, Sentence synodique contre le clergé unioniste (1283) 1911, 133—6. E cod. Paris. 2075 editur sententia synodi habitae 1283 de episcopis, presbyteris, diaconis, qui Michaële VIII Palaeologo imperatore romanam ecclesiam secuti erant.

M. Jugie, La primauté romaine au concile d'Ephèse. 1911, 136—146.

A. Catoire, Le divorce d'après l'Église catholique et l'Église orthodoxe 1911, 167—170. Nihil novi affertur.

S. Pétridès, Documents sur la rupture de l'union de Florence. 1911, 204—7. Agitur de tribus documentis cod. 1295 gr. Paris., quorum duo eduntur (Macarii Nicomediensis et Theodori Agalliani).

L. Arnaud, A propos de la cuiller liturgique chez les Grecs. 1911, p. 209—211. De propositis ob contagionis periculum factis quae dissensio sit inter orthodoxos exponitur.

S. Salaville, Une innovation liturgique à Alexandrie en 1702. 1911, p. 268—270. De reprehensio a Callinico II vel Gabriele III, patr. Cp., Gerasimo II, quod epiclesin alta voce, verba Hoc est corpus etc. summis enuntiari in sacro iussisset. Custodis traditionis in ecclesia universa patriarcha Cp. usurpat munus.

S. Salaville, Un témoignage oriental en faveur de la primauté et de l'infailibilité du pape au VI^e siècle. 1910, 171—2. Agitur de testimonio Ioannis patr. Hierosolymitani (cf. ZkTh 1910, 219).

S. Salaville, La consécration eucharistique d'après quelques auteurs grecs et syriens. 1910, 321—324. Afferuntur primum tria Chrysostomi testimonia. Nescio cur in praecipuo eorum (In 2 Tim h. 2, 4 M. 62, 612) post ipsa verba de quibus instatur, quaedam praetereuntur; num obscurum videbatur cur adhibita essent? Si ita esset, non probarem eiusmodi argumenta in controversia cum orthodoxis. Tamen mihi quidem verbis illis omissis vera sententia allatorum satis indicari videtur; nihil enim dicit s. Io. nisi: sicut verba, quibus usus est Christus (sive docens sive alias), eandem vim habent, cum a sacerdote enuntiantur, ita etiam oblatio et baptisma quod fit a sacerdote, Christi ipsius est.

Praeterea afferuntur loci e Severo Antioch. († 538), Jacobo Edess. († 708), Ioanne Dar. (IX. s.), Ebedjesu Sob. († 1318).

S. Pétridès, Le moine Job. 1912, 40—48. De Iob Iasita, monacho Constantinopolitano s. XIII. descendente, qui inter alia scripsit Apologiam τῷ παναγιωτάτῳ καὶ οἰκονομ. Κυρίου Ἰωσήφ ἐπὶ τοῖς προβληθεῖσιν ὑπὲρ τῶν Λατίνων etc. (Vindob. 281; Monac. cod. 68).

M. Jugie, La vie et les oeuvres d'Euthyme Zigabène. 1912. 215—225.

M. Jugie, Le voyage de l'empereur Manuel Paléologue en Occident (1399—1403). 1912, 322—332.

E. Goudal, L'Eglise de Serbie de 1909 à 1912. 1912, 345—355.

F. Cayré, L'autorité spirituelle du patriarche grec du Constantinople 1912, 395—404. C. docet potestatem patriarchae minimam esse, cum obnoxius sit synodo; contineri eam exhortatione et exemplo, nisi contingat, ut suffragiorum numerus par sit ex utraque parte.

A. Catoire, L'intervention des laïques dans la gestion des biens d'Église. 1912, 202—214. Negatur orthodoxos de iure in bona ecclesiastica a catholicis dissentire.

A. Catoire, L'intervention des laïques dans l'élection des évêques. 1912, 412—426. Consuetudinem, non ius fuisse cunctorum fidelium in creandis episcopis suffragium; idem teneri ab orthodoxis.

S. Salaville, Conservation et épiclesse dans l'Église arménienne au XII^e siècle 1913, 28—31. Testimonium, quod suppeditat Nerses Lambromaci, affertur et excutitur.

J. Cayré, Joachim III. patriarche grec de Constantinople 1834—1912. 1913, 61—68; 163—172; 322—330; 431—443.

M. Jugie, Un théologien grec du XVI^e siècle — Gabriel Sévère et les divergences entre les deux Églises. 1913, 97—108. Gabriel Sebêros (1541—1616) non impugnavit Latinos ob epiclesim neque ob divortium aut ob modum baptismi; characterem sacerdotalem docet extingui non posse (Richard Simon, Par. 1671 p. 51—2), nec aliter statuit de confirmatione (ib. p. 51; Chrysanthos Hierosol., Συνταγματικόν, Terg. 1715 p. ρς'), usurpat vocem μετασυστάσεως, pro forma matrimonii habet consensus sponsorum significationem (Chrys. p. ριε'), paenitentiae impositae actionem vocat ἱκανοποίησιν, quam qui neglegit rationem redditurus est Deo de ecclesiae lege contempta (Chrys. p. ριδ'); precibus ecclesiae iuvantur post mortem solum qui digni sunt; non admittit vocem purgatorii, sed admittit τόπος ἱκανοποιούσ (Πόσαι εἰσὶν αἱ γενικαί. Cp. 1627, c. 4),

quin placet ei doctrina de igne purgatorii; negat autem potestatem liberandi vi iurisdictionis animas a poenis post mortem perferendis; iustos post mortem eatenus negat perfecta beatitudine frui, quatenus corpus eius expers sit (Πόσαι c. 5); Christum pane fermentato dicit usum esse in Eucharistia instituenda (ibid. c. 3); Petrum primatum honoris habuisse a Domino, Romanum episcopum eum (τὸ πρωτεῖον τῆς ἐξουσίας) habere a conciliis propter urbis principatum (ibid. c. 2).

Doleo scriptorem non sentire quam abhorreant a tractandis eiusmodi rebus verba ironiae plena, velut (p. 103; cf. 102 etc.): Souhaitons qu'avec tant de ressources (rideri volunt haec verba) ils se confessent un peu plus souvent.

Ph. Gospodinof, Les pionniers de la renaissance bulgare en Macédoine 1913, 144—154 (De fratribus Demetrio et Constantino Miladinov).

S. Salaville, Une explication du patriarche Michel l' Oxite (1143—6) sur la formule de consécration eucharistique. 1913, 288—291. M. Oxeitès dicit a postolos consecravisse verbis: Hoc est corpus etc. (Manuêl Gedeôn, Ἄρχειον ἐκκλησίας ἱστορίας 1911 I p. 41.

M. Jugie. La vie et les oeuvres d' Euthyme, patriarche de Constantinople 1913, p. 385—395; 481—492. Pauca exstant quae hic († 5. VIII. 917) scripsit: ἐγκώμιον εἰς τὴν σύλληψιν τῆς ἁγ. Ἄννης. (Bodleiana, Cod. laud. 69); ἐγκ. εἰς τὴν προσκύνησιν τῆς ἁγίας ζώνης (lat. M. 131, 1243—50; gr. Vat. gr. 1671. 820 etc.); κανὼν παρακλητικὸς εἰς τὴν θεοτόκον (Athon. 771). Bona fide vir iustus videtur negavisse procedere Spiritum s. per Filium; indicat peccatum originale et Deiparae, quam magna pietate laudat, immunitatem.

Gratia certe habenda est scriptoribus horum commentariorum pro industria qua quaestiones nostras pertractant.

Desiderandum videtur esse, ut index nominum et rerum saltem decimo quoque anno his commentariis addatur, quo res disiectae colligantur secundum ordinem litterarum ad usum faciliorem; in transcribendis nominibus autem systema phoneticum gallicum loco orthographici internationalis adhibitum non solum nullius videtur esse utilitatis, sed etiam difficultates parit ei, qui verum nomen inde colligere studet (velut 1913 p. 261 Cheptitski). Invidiosam atrocitatem quae inest in verbo „orthodoxi“ insigniando omitti posse eodem modo quo ab orthodoxis in catholicis significandis omittitur arbitramur.

Theologische Quartalschrift. Tüb. 1912. 1913.

K. Adam, Cyprians Kommentar zu Mt 16, 18 in dogmengeschichtlicher Beleuchtung: t. 94 p. 99—120; 203—244.

M. Merchich, Der Probabilismus: t. 94 p. 263—79.

W. Koch, Das Trienter Konzilsdekret de peccato originali t. 96 430—50; 532—64; 101—123.

Revue Augustinienne 1910.

M. Jugie, Théologie orientale. Saint Sophrone et l' Immaculée Conception. Grégoire Palamas et l' Imm. Conc. p. 145—161; 567—74.

Katholik 1912.

F. Gillmann, Die Form der eucharistischen Konsekration beim letzten Abendmahl nach Petrus von Poitiers, Wilhelm Durantis, Guido de Baysio u. Wilh. de Monte Lauduno. p. 150—2.

Historisch-politische Blätter 1912.

K. Lübeck, Die bulgarische Unionsbewegung d. J. 1860. t. 150, p. 1—20.

Revue Bénédictine 1912, 1913.

J. Chapman, St. Paul and the Revelation to St. Peter, Matt. 16, 17: XXIX 133—147. Pauli verba scribi non potuisse nisi quae Mt. 16, 17 (non Mc 8, 29; Lc 9, 20) narrantur nota fuissent Galatis conversis.

O Casel, Eine missverstandene Stelle Cyprians XXX p. 413—20. Cypriani, De cath. eccl. unitate c. 5. verba: episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur C interpretatur: Der Episcopat ist nur einer und die

einzelnen haben in gleicher Weise Anteil daran, dass jeder den ganzen besitzt (p. 418). Es kann sich daher (das Bischofsamt) auch uno loco nur auf einen Träger niederlassen und sich nur in einem verwirklichen. Eine divisio, ein Schisma kann es nicht ertragen... Der Bischof ist Monarch in seiner Kirche.

J. Chapman, On the Decretum Gelasianum de libris recipiendis et non rec. VI. The formulae XXX 318—333 (inter alia de usu vocis catholicus exponitur).

Theologie und Glaube 1914.

K. Lübeck, Die Organisation der orthodoxen griech. Pfarreien. p. 353—60.

La vie diocésaine de Malines. 1912 (VI.)

H. de Jongh, Les grandes lignes de l'histoire des indulgences: p. 69—80; 133—49; 170—88; 225—39; 333—45.

Bessarione 1912.

Msg. *Niccolo Marini*, Il Primato di S. Pietro e dei suoi successori in S. Giovanni Crisostomo 1--7.

Aur. Palmieri, La Lettera del filosofo bizantino Teoriano e un testo polemico inedito di Niceta Pectoratus 8—14.

Aur. Palmieri, Un' Opera polemica di Massimo il Greco (XVI secolo) tradotta in latino da Giorgio Krijanitch p. 54—79.

Aur. Palmieri, Niceta di Maronea e i suoi dialoghi sulla processione dello Spirito Santo 80—107; 126—132.

Msg. *Niccolo Marini*, L' ora presente e l' unione delle Chiese. 115—125.

Aurelio Palmieri, I teologi laici rumi e la religiosità nel popolo russo 133—144.

I. Nov., Recentissimorum theologorum russorum doctrina de traditione sacra eiusdemque doctrinae critica 145—155.

D. Cirillo Karalewski, La Missione greco-catholica della Cimarra nell' Epiro nei secoli XVI—XVII (cont.) 181—199.

Aur. Palmieri, Le teorie del generale Alessandro Kireev sull' unione delle Chiese 208—226.

Etudes 1911—1913.

Henri Auffroy, Le célibat des prêtres t. 133 p. 5—20; 206—226.

Pierre Bliord, L'empereur Alexandre, les Jésuites et Joseph de Maistre d'après des documents inédits, t. 130, p. 234—44.

Jos. Boubée, L'Eglise Anglicane et le divorce 1913, I 258—266.

Jos. Boubée, L'affaire Deibner 1913 II 552—559.

Adh. d' Alès, Saint Cyprien et la primauté romaine p. 661—73.

Stéph. Harent, Le rôle de l'Église dans les questions de foi (de ecll. infallibilitate etc.; orthodoxorum rationem habet) I 721—739.

Mich. d' Herbigny, La fin catholique de Vladimir Soloviev t. 133 p. 799—809.

Lucien Roure, Vladimir Soloviev t. 128 p. 237—41.

Stanisl. Tyszkiewicz, Un Episode du mouvement d'Oxford: La mission de William Palmer I. De l'anglicanisme aux confins de l'orthodoxie; II. Des confins de l'orthodoxie au seuil du catholicisme; 1913 III 43—63; 190—210.

Theologische Studien und Kritiken 1914.

Samuel Geller, Ein Schreiben der mährischen Brüdergemeine an den Patriarchen zu Konstantinopel und Antwort desselben. P: 472—480. Typis describitur Dav. Nitschmanni et Nicol. Ludovici com. de Zinzendorf epistula Neophyto patr. 10/XII 1739 missa; item huius responsum. Δόγματα quae utraque epistula commemorantur et quae Neophytus a graecae ecclesiae dogmatis non differre respondet ita ut differentia sit dumtaxat in τελεταῖς καὶ τισιν ὀργασμοῖς καὶ παραδόσεσι atque recipiendi sint ut fratres, non exscribuntur.

Bibliotheca Sacra 1914 (vol. 71).

H. Pope, O. P., The doctrine of the Church touching Indulgences. p. 296—330. Pars dogmatica summam exponitur discrimine inter ecclesiae

et theologorum doctrinam neglecto. Bene refutatur quod obici solet de moribus labefactis (the ethical difficulty) p. 311—7. Sequitur breve responsum ad ea quae in B. S. 1913 contra indulgentias dicta erant.

The Expositor 1914.

W. L. Walker, The Eternal Love and Christian Unity. p. 244—54. Explicatur Io 17, 21: ut omnes unum sint. Illud unum posse perducere ad unitatem, docet Christus, si corda christianorum possideantur caritate ea, quam Deus habet erga homines, et caritas patefacta in ecclesia via est, qua mundus ad Deum ducendus est; et ideo Christus oravit, ut unum essent (p. 254). Sicut e concordi corporis partium conspiratione versus unum propositum vitam superiorem adesse cognoscitur ita Deum revelari oportet in ecclesia eo quod omnia ad unum amoris servitium conspirent (p. 250).

H. R. Mackintosh. Studies in Christian Eschatology. 4. Death and the Sequel p. 427—40. P. 438—40 de precibus pro mortuis exponitur.

Russlands Kultur und Volkswirtschaft 1913.

Holl, Die religiösen Grundlagen der russischen Kultur.

Š.

Novi libri.

Pil. Bapeides, Ἐκκλησιαστικὴ ἱστορία III 1. (a. 1453—1700) (rec. Krus. A. Papadopoulos in Ἐκκλ. Φάρος X 1912 503—15).

V. Bernardi, Il Papa secondo il Concilio Vaticano e secondo S. Tommaso d' Aquino. Treviso 1914 234 p. 2, 50.

N. Biernacki, Ius „Orthodoxum“ Russorum, respectu iuris ecclesiae romano-catholicae consideratum. Posn. 1914 116 p.

M. Boegner. The unity of the Church. Thesis 31 p. Cahors Impr. A Coueslant 1914.

J. Bousquet, L' Unité (rec. M. Jugie EO 1913, 472-3; A. Ia. in Katol. Obozr. 1914 121-4).

F. Bruscellii, Il celibato ecclesiastico. Roma 1911 216 p. (Civ. Catt. 1911 I 591-9).

Cagin, L' Eucharistia. Canon primitif de la messe. . Rome-Paris 1912.

D. S. Caracciolo di Torchiarolo, Il celibato ecclesiastico. Roma Desclée 1912 VIII + 112 p. 1, 25 (cf. Civ. Catt. 1914, 3, 81).

C. Cernaianu, Biserica și Româniismul, studio istoric. Bucar 1909, 168 p. 2 fr. (rec. E. Montmasson in EO 1910, 253-4).

N. Dobrescu, Istoria Bisericii române, Văl. de Munte 1913.

K. I. Duobouniotes Τὰ μυστήρια τῆς ἀνατολικῆς ὀρθοδόξου ἐκκλησίᾳ ἐξ ἐπόψεως δογματικῆς Ath. 1913 200 p.

F. Bruscellii, Il celibato ecclesiastico. Roma 1911 216 p. (Civ. Catt. 1911 I 591-9).

G. Edmundson, The Church in Rome in the first century. L. 1913 Longmans XIII + 296 (lect. 7 p. 180 ss.; lect. 8 p. 218 ss.)

Basilios Gheorgiu, Was bestimmt der h. Apostel Paulus in Betreff der Priesterehe (in Hommage Internat. à l' Univ. Nat. de Grèce. Ath. 1912 275-320).

N. Jorga, Istoria Bisericii Românești si a Vieții religioase a Românilor. Valenii - de Munte 1909 t. II. 479 p. (rec. E. Montmasson in EO 1910, 127).

G. M. Ionescu, Istoria Mitropolici Ungro-Vlahiei. Vol II. Buc. 1914.

Kneller, D. h. Cyprian u. das Kennzeichen der Kirche. 71 p. Freib. i. Br. 1914 1,80 M.

T. A. Lacey, Marriage in Church und State XXI + 248. L. 1912. (R. Scott) 5 s.

N. H. Louwyck, The Pope; a Comment. on the teaching of the Vatican. 85 p. Salford 1914 2 s.

Konr Lübeck, Die christlichen Kirchen des Orients (Saml. Kösel 43). Kempten 1911 XII + 280 1 M (rec. Baumstark in ThRev. 1912, 89—94).

V. Marchese, Le mie impressioni al Concilio Vaticano. Salazzo 1912. 160 p.

Max pr. Sax., Praelectiones de liturgiis orientalibus. I-II. Liber utilissimus.

Will Moran, The Government of the Church in the First Century. Dubl. H. Gill. 1913 XI + 288 (rec. H. L(eclercq) in RBén. 1913 369—370). Studet episcopo monarchico efficiendo.

Fr. Nager, D. Trinitätslehre d. h. Basilus d. Gr. Paderb. 1912 IV + 123 2,50 M (rec. M. Jugie EO 1914, 86).

Nectarius metrop., Μελέτη ιστορική περί τῶν αἰτίων τοῦ σχίσματος, περί τῆς διαιωνίσεως αὐτοῦ, καὶ περί τοῦ δυνατιῶ ἢ ἀδυν'του τῆς ἐνώσεως τῶν δύο Ἐκκλησιῶν. T. I. Ath. 1911.

Greg. Papamikaël, Ὁ ἅγιος Γρηγόριος Παλαμᾶς Alex. 1911 + 238 + XI 5 fr. (rec. M. Jugie EO 1912, 528-31).

Krus A. Papadopoulos, Ἀπόπειρα ἐνώσεως τῶν Ἀγγλων Ἀνωμότων μετὰ τῶν Ὀρθοδόξων (1716—1725). Alex. 1911 56 p. 3 fr. (rec. Ph. Meyer in ThLitz. 1912, 182; *Cayré* in EO 1913, 378).

Idem, Σαμουήλ Καπασοῦλης. Πάπας καὶ πατριάρχης Ἀλεξανδρείας. Alx. 1912. 97 p. (rec. *Cayré* EO 1913, 377—8).

Idem, Ἱστορία τῆς ἐκκλησίας Ἱερουσολυμῶν (cap. 4. de magna tribulatione eccl. hieros. a. 638—1099; 5. de occidentalium expeditionibus ad loca sacra recuperanda 1099—1291; 6. De Turcarum iniuriis 1291—1517 etc.)

Jos. Piccirelli, Disquisitio de catholico intellectu dogmatis transsubstantiationis. Neap. 1912 319 4,50 fr. (rec. R. Bén. 1913, 386—7; cf. AAV VIII 103—108).

P de Puniet, Les paroles de la Consécration et leur valeur traditionnelle. Louv. 1912 (rec. Bessar. 1912 f. 122, 396).

Jacob Radu, Istoria Vicariatului greco-catolic Hațegului. Lugoj 1913. 6 lei.

E. Ritter, Les Eglises chrétiennes au matin du XX siècle. Par. Perrin 1912 186 p 3 fr. (rec. RO VII 311; EO 1914, 88).

Fedele Savio, Punti controversi nella questione del Papa Liberio 1911 (rec. Krüger in ThLzt. 1912, 333).

Joh. Schoepfer, D. Wiedervereinigung aller christl. Konfessionen als vordringlichste Aufgabe f. d. wahre Gottesreich auf Erden. Mariadorfen 1912.

H. B. Swete, The Holy Spirit in the ancient Church. Lond. 1912 VIII + 429 (rec. M. Jugie EO 1914, 85—6).

Valerian Șesan, Kirche u. Staat im römisch-byzantin. Reiche seit Konstantin d. Gr. u. bis zum Falle Konstantinopels. I. Bd. (313—380) Czernowitz 1911 XV + 360 (rec. Gidulianov in Byz. Z. 1912. 536—8).

György Tóth, A görög keleti magyarok. Kolozsvár 1907 (de graeco-orientalibus Hungaris). 14 p.

Baronne d'Uxkull, Rome e l' Orient, t. I. Jésuites et Melchites. Berl. 1912 XII + 142 (rec. Janin EO 1913, 568).

M Theodorian-Carada, Biserica română din punct de vedere național. Bucur. 39 p.

C. Wieland, „Hosianna dem Sohne Davids!“ Eine Studie üb. Rom u. d. Gottesreich bei den Propheten. Augs. 130 p. 1,50 (rec. Rönneke in Th Ltb. 1912, 259-260.)

Responsa ad interrogationes.

De ordine s. Basilii scripta haec potissimum videntur esse commemoranda: Korotkij pogliad na monastyri i monašestvo ruske (Šematizm provincij ss. Spasitelja sv. V. V. v Galicii). — N. PETROV, Očerk istorii bazilijanskago ordena v byvšej Poljšē (Tr. K. D. A. 1870—2). — M. O. Koralovič, Istoria bazilijanskago ordena (Xr. Čt. 1864 I). — DIAKOVSKII, Bazilijanskij orden i ego značenie v zapadno-russkoj uniatskoj Cerkvi v XVII. i načalē XVIII. vv. do zamojskago sobora (1720 g) (Grodneskija Eparx. Vēdomosti 1904 č. 18—34). — HENRYK JACKOWSKI T. J., Reforma Dobromilska. — STANISL. ZALEŃSKI T. J., Reforma XX. Bazylianów w Polsce w XVII. wieku. Lw. 1883. — I. IWANOWICZ, Üb. d. historische Bedeutung des Basilianerordens in Galizien und seine gegenwärtigen Verhältnisse. L. 1885. — A. I. witsch, Material zur Denkschrift der galizischen Russen üb. d. Massregeln, welche neuester Zeit unter d. Vorwande einer Reform des galiz. Regularclerus ins

Leben gerufen, die griechisch-katholische Kirche Galziens in ihrem Bestande gefährden (e „Parlamentär“) Wien 1885. — De veteribus monasteriis galicianis multa scripserunt PŁOSCANSKIJ et PETRUSEVIČ. De monasterio ss. Trinitatis vilnensi editus est liber Vilnae a. 1886. — Praeterea multa inveniuntur in Volynskiā Eparx. Vēdomosti; Cholmsko-Varšayskij eparx. Vēstnik; Litovsk. Eparx. Vēdom.; Pólock. Eparx. Vēdom.; Xr. Ct.; Tr. K D A; Naukovyj Zbornik, Līvov 1862; Zapysky Tovarystva im. Ševčenka. — Item apud eos qui de rebus ecclesiae russicae catholicae vel orthodoxae scripserunt velut MAKARIJ, GOLUBEV, TITOV, PELESZ, HARASIEWICZ, LIKOWSKI, ZALESKI, HRUSEVSKYJ. Multa documenta insunt in Vēstnik jugo-zapadnoj Rossii, istoriko-literat. žurnal, izd. K. Govorskim. Vilna 1862 ss.

Varia.

De orthodoxorum cum veteribus catholicis commercio.

Девятый международный конгрессъ старокатоликовъ, продолжавшійся съ 9-12 сентяб. 1913 г. въ Кёльнѣ, составляетъ важный періодъ въ развитіи старокатоличества, такъ - какъ, на сколько можно судить по состоявшимся на немъ совѣщаніямъ, онъ значительно приблизился къ своей цѣли — соединенію съ православной восточной церковью, хотя о какомъ нибудь окончательномъ результатѣ еще нельзя говорить. Святѣйшій Синодъ всероссійскій въ Петербургѣ отправилъ на этотъ конгрессъ русскаго статскаго совѣтника Лодыженскаго и состоящаго при импер. россійскомъ посольствѣ въ Дрезденѣ протоіерея д-ра Якшича

Настоятель Кюри изъ Базеля (старокатол.) высказался за болѣе усиленное стремленіе старокатоликовъ къ общенію въ священнодѣйствіяхъ съ англиканскими церквами въ Англии и въ Америкѣ. Русскій статскій совѣтникъ Лодыженскій затѣмъ сообщилъ, что отъ имени Святѣйшаго Синода онъ

Nonus veterum catholicorum, qui vocantur, conventus Coloniae nuper habitus (9—12 Sept. 1913) ad eorum studia coniungendi se cum ecclesia orthodoxa ad effectum perduenda aliquid videtur contulisse, etsi nihil certi decretum est. Ad quem conventum SSa Synodus Petropolitana legatos misit Lodyženskium, qui a consiliis civilibus imperatoris est, et Dr. Jakšicium, qui Dresdae in legatione Russica munere sacerdotis fungitur.

Parochus Basileensis (v. c.) magis quam antea dandam esse operam communioni in sacris cum ecclesiis anglicanis Angliae et Americae consequendae dixit. — Praeterea Lodyženskij conventum certiore fecit sibi mandatum esse a SS. Synodo, ut responsum afferret collegii Russici veterum catholicorum or-



имѣть собранію старока-
толическихъ епископовъ
передать отвѣтъ россій-
скаго комитета по дѣлу
уніи со старокаатоликами,
удостовѣрившаго что нѣтъ
никакихъ существенныхъ
причинъ розни между
старокатоликами и восточ-
ными. Настоятель Уей изъ
Пузей-Гауза твердилъ, что сущ-
ность англиканской церкви обо-
снована ея теологією, обрѣвшею
самое счастливое соединеніе авто-
ритета и свободы. Въ этомъ
отношеніи существуетъ де между
старокатоликами и англикан-
цами самое близкое сродство. —
Съ этимъ фактомъ слѣдуетъ
сравнить, что выдающійся рус-
скій государственной мужъ По-
бѣдоносцевъ высказалъ въ
своемъ сочиненіи: „Современ-
ный и спорный вопросъ“, именно
что душа русскаго народа не-
соединима съ англиканской.
Вслучаѣ состоявшейся уніи пра-
вославной русской церкви со
старокатолической, или съ ан-
гликанской, слѣдуетъ поэтому,
на основаніи выше приведен-
наго изреченія Побѣдоносцева,
опасаться, что произойдетъ рас-
колъ въ русской церкви, тѣмъ
болѣе, что старокатолики и ан-
гликанцы отрицаютъ важное
ученіе о преосуществленіи, какъ
оно содержится въ исповѣданіи
Досіоея, въ грамотахъ право-
славныхъ восточныхъ патріар-
ховъ и въ исповѣданіи право-
славной вѣры, тогда какъ на-
противъ русскіе епископы до
недавняго времени должны были
передъ своей хиротонією при-
сягать, что въ этомъ ученіи
пребудутъ. Нужно впрочемъ за-
мѣтить, что недавно скончавшій-

thodoxae ecclesiae unien-
dorum causa constituti-
quod iudicare nullum ve-
rum esse impedimentum,
quod orientalibus cum
veteribus catholicis con-
iungendis obstaret. Way,
parochus anglicanus, naturam
ecclesiae anglicanae theologia
eius contineri dixit, qua aucto-
ritas et libertas felicissime inter
se coniunctae essent; qua in
re ecclesiam veterum catholico-
rum proximam esse anglicanae.

Cum his conferenda viden-
tur esse quae Pobѣdonoscev
vir rei publicae peritia illustris-
simus, in libro, quem de tem-
pore et controversia scripsit,
enuntiat: populi Russici ani-
mum cum Anglico consociari
non posse. Itaque, si ortho-
doxa Russiae ecclesia et vete-
res catholici vel anglicani in-
ter se coniungantur, discidium
intra ecclesiam Russiae nasci-
turum videtur vel ob ratiōnem
a Pobѣdonoscev indicatam. Ma-
gis etiam ob reiectam a vete-
ribus catholicis et anglicanis
transsubstantiationem, quae in
Dosithei Confessione, in Gram-
matis patriarcharum orthodo-
xorum orientalium, in Confes-
sione Orthodoxa enuntiat et
quam usque ad haec tempora
episcopi Russici tenere se velle
iurare debebant antequam con-
secrarentur. Ceterum in memo-
riam revocandum est Janyše-

ся духовникъ русскаго Императора, протопресвитеръ Янышевъ, другъ и защитникъ старокатоликовъ, въ своей въ 1890 годѣ изданной брошюрѣ „касолична-ли - англо - американская церковь?“ отрицалъ у англиканцевъ, съ которыми нынѣ старокатолики соединены взаимнообщеніемъ, характеръ касоличности.

Когда состоится унія восточныхъ со старокатоликами, откажутся-ли эти послѣдніе отъ совмѣстнаго причастія съ англиканцами, ли должны быть въ это общеніе включены и восточные? Весьма большое затрудненіе для подготовляемой унии заключается и въ томъ, что съ одной стороны на состоявшейся въ 1691 г. въ Царьградѣ при патріархѣ Калиникѣ синодѣ, на которой участвовалъ и знаменитый іерусалимскій патріархъ Досиѳей, въ самихъ строгихъ и рѣзкихъ выраженіяхъ были преданы анаѳемѣ все отрицающее ученіе о преосуществленіи, тогда какъ съ другой стороны едва ли найдется какой-либо нѣмецкій или швейцарскій старокатоликъ, который бы это ученіе принималъ.

„Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim“.

Православный.

vium protopresbyterum, qui veterum catholicorum amicus et patronus erat, in libro, quem a. 1890 edidit, quo quaestionem tractabat, num ecclesia angloamericana catholica esset, anglicanos, quibuscum veteres catholici nunc intercommunionem, quam vocant, coniuncti sunt, catholicos esse negavisse; suntne facta cum orientalibus coniunctione intercommunionem illam sublaturi an orientales eius participes erunt? — Non exiguum huius consilii veterum catholicorum cum orthodoxis coniungendorum impedimentum est etiam anathema in synodo a. 1691 Constantinopoli habita, cui Dositheus quoque patriarcha hierosolymitanus, vir illustrissimus, intererat, gravissime et acerrime enuntiatum de iis, qui, transubstantiationem negant — quam vix quisquam veterum catholicorum Germaniae vel Helvetiae tenet.

Incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim.

Orthodoxus.

Litterae Slavorum Theologicae.

Bohemica.

Jiří Sahula. Z husitství do protestantismu. Ex Husitis facti protestantes. Historicko-náboženská úvaha. Díl I. Srovnání husitství s lutherstvím. — Počátky lutherství v Čechách až do pádu vlády Hlavsovy roku 1524. V Praze 1903. 101. str. 12^o. Díl II. Kališná hrůzovláda. V Praze 1904., 76 str. 12. Díl III. Triumf a pád kališné hrůzovlády. V Praze 1905. 152 str. 12. — Díl IV. Vítězná reakce protestantská. V Praze 1913. 132 str. 12. (Hlasy katolického spolku tiskového. Ročník 34. Č. 4. Roč. 35. Č. 8. Roč. 36. Č. 2. Roč. 44. Č. 1.

Aetas nostra abundat libris impressis, qui gentem nostram omnium disciplinarum peritam reddere vellent. Verum non omnis eruditio ad salutem aeternam adipiscendam est utilis. Plurimi libri ad erudiendum populum editi animos neglegentes reddunt omnis religionis, non sunt scripti nisi ad augendam scientiam, eruditionem et fovendam honestatem quandam morum. Quotopere eiusmodi libri nonnunquam noceant, unusquisque facillime discere potest cum de religionum et ecclesiarum ad salutem obtinendam aequa vi homines disputantes audit. In qualibet religione, aiunt, salutem obtineri posse aeternam, itaque omnes religiones idem valere, simodo sunt christianae. Ad hunc errorem corrigendum Georgius Sahula hos quattuor libellos scripsit.

Non vult de industria nova detegere, sed vetera iam a plurimis rerum gestarum peritis exposita et affirmata argumenta nova ratione illustrare ac populo nostro iucundo modo explicare et suggerere. Et quae voluit, peregit. Claro ac luculento sermone husitismum cum lutheranismo accurate comparat, qua in re omnino suus est; explicat, in quo doctrina et mores Ioannis Hus a doctrina et moribus Martini Lutheri differant, quam puri fuerint mores illius, si componantur cum moribus huius, quantum studuerint Hus eiusque factio cum vera ecclesia convenire, etsi propriam doctrinam nullo modo vellent deserere; quotopere vero ab initio Martinus Lutherus Romano pontifici et ecclesiae catholicae se opposuerit. Sane quidem haereticus est uterque; sed Ioannes Hus in ecclesia Romana manere voluisset, si haec in quibusdam suam opinionem secuta esset; Martinus Lutherus ecclesiam Romanam tamquam diabolicam et inimicam puro evangelio reiecit. Itaque Hus eiusque factio multo propius accedunt

ad ecclesiam catholicam quam Lutherus. Nihilominus husitismus protestantismo germanico etiam in Bohemia viam stravit. Ita factum est, ut multi Bohemi, praesertim utraquistae, iam ab initio cum Luthero sentirent et eius decreta statim postquam Lutherus in Saxonia suum evangelium annuntiare coepit, Praegae sequi voluerunt. Lutherus eos adulatorum Ioannem Hus ut testem veritatis laudavit. Inter Lutheri studiosos eminent Ioannes Hlavsa, qui novarum rerum studiosis Praegae praefuit et anno 1523 primus consul civitatis antiquae Praegensis a rege Ludovico creatus est, et sacerdos Gallus Cahera, discipulus Lutheri, Praegae factus administrator consistorii utraquistici. Horum uterque evangelio novo Lutheri favens ceremoniis antiquis relictis nova instituebat. Horum studiis Ioannes Pašek de Vrat, dux utraquistarum antiquae doctrinae fidelium, se opponens Hlavsam officio privavit, et cum eius factione ex urbe in exilium misit. Cahera relicto Luthero iterum strenuus utraquista factus est. Sed Pašek, cum primus coniunctarum civitatum Praegensium consul esset, rem non ex iure gesserat sed, quemcunque non a suis partibus stare putaverat, ex urbe pepulerat in exilium. Quapropter Ferdinandus I., cum post mortem Ludovici rex Bohemiae creatus esset, effecit, ut Hlavsa cum suis iterum in urbem revocaretur et ut urbes Praegenses coniunctae iterum separarentur atque singulae suos crearent consules et senatores. Tali modo concordia inter cives restituta est, et Pašek et Cahera officio suo privati sunt. Cahera in exilium pulsus est. Rex, licet catholicae rei sincere studiosus, impedire non potuit, quominus complures domini imprimis earum partium, quae in finibus Saxoniae et Misniae sitae sunt, una cum subditis suarum civitatum et dominiorum transirent ad Lutherum et sacerdotes vel potius praedicantes a Luthero peterent, libros Lutheri non modo ipsi legerent, sed etiam inter subditos distribuerent et omnia secundum Lutheri ordinem constituerent in ecclesiis. Subditi non potuerunt non oboedire. Plurimi etiam novum evangelium sua sponte amplexi sunt. Sic brevissimo tempore, ut scriptor in quarto libello singula perstringens optime explanat, Lutheri doctrina in variis regionibus Bohemiae florere coepit. Dominos secuti sunt urbes liberae et regiae. Tristis exitus huius mutationis fuit ingens confusio, cum non modo diversae inter se sectae ex Germania et finitimis regionibus in Bohemia pullulare coepissent, sed etiam novae ortae essent. Itaque omnis fere populus diversissimis erroribus imbutus id maxime petiit et desideravit, ut deiecta catholica ecclesia, liberum religionis exercitium concederetur veteresque leges regni Bohemiae in desuetudinem abirent. Quare rex Ferdinandus cum statibus Bohemicis bellum gerere debuit, cum tandem omnes ab ipso deficerent. Hoc tamen bellum Sahula non amplius enarrat, sed opus claudit concilio statuum anno 1539 coacto.

Ut iam dixi, modus exponendi res clarus et perspicuus est, rerum dispositio sequitur rerum gestarum ordinem, auctoribus

utitur scriptor plerumque recentissimis sed adhibet etiam chronica vetera et Acta.

Qui legunt hos quattuor libellos, sine dubio de turbis Pragae exortis post quintum lustrum saeculi decimi sexti et de sectarum contra ecclesiam catholicam et imperium catholici regis pugna bene instruuntur. Sumant igitur et legant.

Aloisius Kroess S. J.

Dr. RICHARD ŠPÁČEK: **Ježíš Kristus jako božský Mesiáš a pravý Syn Boží dle synoptikův.** Jesus Christus divinus Messias et verus Filius Dei iuxta synopticos. Pragae 1913 „Vzdělávací knihovna“ 59. 139 pag., pret. 1.50 cor.

Paucis explicare tantam quaestionem facile non est: tamen prospere res evenit. Priore parte (1—59) de Christo Messia exponitur, posteriore (60—139) de Christo Filio Dei. Exiguitas apud synopticos testimoniorum de Christi munere messianico explicatur consilio ea quae Christus docebat ordine historico narrandi: Christus autem, paedagogus optimus, dignitatem messianicam non statim plene, sed paulatim et providenter revelavit. Judaei enim Messiam potentem et clarissimum, non abiectum aut patientem exspectaverunt; tumultus quoque rei publicae excitasset, quod certe noluit. Christum habitum esse Deum probatur eius ratione ad Patrem (§ 7), potestate eius legifera atque magisterio (§ 8), miraculis (§ 9), redemptione a culpis et remissione peccatorum (§ 10), maximo Christi personae et doctrinae momento ad vitam cuiuslibet hominis (§ 11), summa potestate dominandi et iudicandi Christi in regno Dei (§ 12). In paragrapho ultima ostendit sex synopticorum testimoniis Christum fuisse sibi suae divinitatis conscium (13).

AD. PATERA & ANT. PODLAHA, **Soupis rukopisů knihovny metropolitní kapitoly pražské.** Manuscripta bibliothecae capituli metropolitani pragensis describuntur I. (VIII + 848) Praha 1910.

Opus magni laboris, quod magnae utilitatis erit omnium nationum historicis. Quae ut augeatur aliqua notemus. Scriptorum enim nomina non indicantur: N. 116: Viclef, Expos. dec.; 152 Dinkelspühl Responsio; Gerson, Duplex denar. f. 261^b; Simo de Tišnov f. 266^a—284^b; Mařík, Apostolice docet 284^b; 269 Nicolai de Dresda, De com. s. utr. 225^a—240^a; Iacobellus, De com.; 310 Hus, de 6 error. c. 6 De simonia f. 122^a; Viclef, 33 pos.; 352 Iacobellus, De com. s. utr.; 500 Pilichdorf, Reprob. err. Wald.; 512 Henr. Suso, Horolog. sap.; 513 Hugo a S. Caro, Spec. eccl.; 524 Molitor, Lumen an.; 548 Iacobellus Contra c. imag.; 569 Hoffmann de Svidnice, C. com. utr. sp.; 585 Iacobellus, Qu. de corp. Chr. verit.; 613 Příbram, Tr. de nonreman.; 614 Iacobellus, Utr. sacerd.; 615 Příbram, Auctorit.; 617 Mich de Malenicz, C. haeret.; 623 Nicol. de Drazna, De conclus. f. 35^b; Prokop de Kladrub, De sacr. alt.; 628 Pálec, De eccl.; 688 Iacobellus, De com. parv.; 828 Conradus Carthus. Serm.

Nonnumquam de tempore indicato dubitare licet: N. 129 p. 86: poč. XVI. stol.: nonne init. s. XV.? N. 826 p. 484: z konce XV. stol. Patera scripserat 1380—1400; idem quae ibi omittuntur legerat: ach myly yakube . wydyech gednu zzmylelyczku anat blyge przyess plot . . hrzyzla hrussky sye rada ssysba . . . nastawugycz .ussky etc.; eodem modo alias quoque quae Patera legerat et descripserat omittuntur et legi iam vix posse dicuntur.

Ferd. B. Černovský, Snoubenci na katolickém farním úřadě. Pr. 1912 (Quod parochi de sponsis agendum sit). 90 p. 1.30 K.

J. Čihák, Theosofická společnost a její učení. 1914.

Fr. Daněk, Kapitoly o manželství. Pr. 1913 p. 108 1.0 K. (De matrimonio capita aliquot). Ad pop. sensum accommod.

Ant. Heveroch, O poruchách jáství (e Časop. lék. českých 1910) 120 p. (De perturbato sensu τοῦ ego) (rec. Krejčí in Č. Mysl 1912 p. 72—75).

A. Hobza, Autonomie náboženských svazů v moderním státě (De libertate coetibus ad relig. pertinentibus concedenda) Pr. 1910.

K. Jindřich, První visitace katolického biskupa v Sibíři. Pr. 1911.

Em. Kubiček, Správa klášterního velkostatku Zlaté Koruny Pr. 1911.

J. Sahula, Z husitství do protestantismu. Díl IV. Pr. 1913 132 p.

Jan Sedláček, Texty z doby husitské (Quaedam scripta aetatis husiticae conservata eduntur). (Rec. ČČH 1913, 255—6).

Cyr Stojan, Zprávy pohanských spisovatelů prvního století o Kristu a křesťanství (De scriptorum non christ. s. I. nuntiis de Christo et christianis) Progr. reál. Uher. Brod 1910 17 str. 0-40 K.

V. Šanda, Starosemitské nápisy. Pr. 1912.

Fr Žák, Soustavná katolická věrouka pro lid (Dogmatica ad. pop. sens. accomm.) Nonnulla bene exponuntur, nihil tamen novi inest nisi nova vocabula bohemica quae ad significandas res apta esse non solent (velut věroučná skutečnost (!) factum dogmaticum).

Polonica.

Ks. Dr. FRANCISZEK LISOWSKI, *Slova ustanowenia najśw. Sakramentu a Epikleza*. (Verba quibus ss. Sac. institutum est an epiclesis?). Lw. 1912.

Quae de epiclesi iam scripta sunt, satis copiose recensentur p. XXIII—XXXII; desunt E. BISHOP, FR. M. LEONI (qui p. 52 commemoratur), NIC. COMN. PAPADOP., Praenot. mystag. s. 6, H. B. GUMMEY, R. THURSTON, al. Cum definitur quid de re doceat ecclesia, A. Straub sententiae ratio non habetur; quod maxime e Trid., Decr. pro Arm. et Iacob. concludit verum non est. P. 15—64 controversiae de epiclesi historiam narrat; ex orthodoxis recentioribus afferuntur A. Muraviev, Makarij, Al. Malicev, Bas. Goeken; ex antiquioribus adversariis commemorantur Marc. Eug.; Jerem. II.; P. Mogila, Dositheus, Epiph. Slavineckij (Skřižal), Evtimij (Pokazanie na podverg et Oproverženie), fratres Leikoudai (Akos); contra vim epicleseos laudantur Siļiv. Medvedev, Gedeon Četvertinskij, Lazar Baranovič, Varlaam Iasinskij, Dimitrij Tuptalo, Gavriil Domeckij; nihil de Catumsyrito, Max. Peloponnesio, de Paisio Ligaride (1666), de synodo cypr. (1668), Macar. patr. antioch. (1671), Neophyto patr. ant. (1673), Anthimo VI (Mansi 40, 349) etc.

De *Iustini* sententia scribit 66—73. Verba δι' εὐχῆς λόγου, quae diversissimo modo explicantur (λόγος Verbum; λόγος significat 1 Tim 4,5: cf. Didasc. fragm. Veron.: Monum eccl. liturg. I 2 p. 238; Canones Hippolyti etc.) contra Bunsen, Otto, Rudelbach, Schell negat significare orationem dominicam P. N.; eorum sequitur opinionem, qui iis verbis totum canonem significari putant (Puniet, Rauschen, Struckmann, Varaine contra Hoppe, Marković, Renz, Schanz, Schermann). Nec Brightman JThSt I 112, nec Dods Antenic. Chr. Lib. II 1870 64, nec J. Arm. Robinson TSt VIII 1909 158—63 nec Swete JThSt III 169, commemorantur. Gregorii locus (ut ad ipsam solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent) pertinere a L putatur ad commixtionem Corporis et Sanguinis (consecrationem; de vino consecrato commixtione cum Corpore cf. Mabillon, ad ord. rom. p. 71; Bossuet, Traité de la Comm. sous les 2 esp.).

P. 73—81 de *Irenaeo* exponitur, quem laudare solent orthodoxi (Antimos VI § 13 Mansi 40, 399; Makarij Bulgakov § 214 III etc.); cum argumentum impugnat, quod ex Adv. h. I 13, 2 sumitur, propugnatorem potius se praebet quam interpretem; quod Iren. exprobrat ἐκτείνειν τὸν λόγον τῆς ἐπικλησεως non exprobrat usum longioris formulae epicleseos; itaque aut τῷ λόγῳ τ' εἰ. verba significari credat, quibus Eucharistia instituta est, aut Irenaeum orthodoxorum sententiae favere concedat. Scriptor tamen — aequae ac Batiffol, Buchwald, Karabinov, Maffei, Rauschen, Renz ἐπικαλεῖν apud Irenaeum significare existimat εὐχαριστεῖν, i. e. universum canonem. De V 2, 3 cf. Batiffol, Etudes II. sér. p. 159; Swete JThSt III 171.

De *Origene* sequitur Renzium, Gesch. d. M. I 207—8 (p. 84—91). De *Tertulliano* (p. 9—7) sequeretur eius sententiam fuisse Christum verbis quae in evangeliiis referuntur, consecrasset, si docuisset vocem „dicendo“ apud eum non significare „cum diceret“; id quod docendum erat. P. 97—103 immerito

videntur premi verba *Cypriani* Ep. 63, 1, 10, cum „facere“ ad verba quibus Eucharistia instituta est significanda trahatur (czynić i mówić): de contextu non quaeritur. P. 104—5 scriptor Caesareae in canone epiclesin fuisse concedit, sed invocationem nou contemptibilem *Firmiliani* universum canonem interpretatur; nihil affert nisi Firmilianum Trinitatis invocatione formulam baptismi significasse, acsi haec formula non magis sit invocatio Trinitatis quam verba Christi Eucharistiam instituentis. — P. 105—8 ab anno 1907 refutari posse ait opinionem dicentium epiclesin semper Christi verba commemorata secutam esse (papyro Dêr Balyzeh); negat enim contra Salaville (cum Baumstark, Heer, Puniet, Schermann) ibi epiclesin post consecrationem fuisse. Cum de *Didasc. Apost* exponit (p. 109) commemorandus erat et perpendendus Can. Hippolyti 3. (ed. Achelis TU VI 4 1891 § 21—7: post Sursum corda sacerdos dicit orationem et sacri finem facit.)

Cum de *Athanasio* quaeretur (114—7), e M. 26, 1525 C (cf. M. 86, 2401 fr. 7) colligendum videtur fuisse in Athanasii mentem non venisse verbis Christi elementa mutari. — De *Basilio* M. (p. 121—4) verum est vim tribui universae orationi eucharisticae, non epiclesi quae sequitur; unde efficitur negandum esse quod scriptor p. 121 dicit; nec enim Basilius quaestionem sibi proposuit et aliter scripsisset si vim verbis Christi tribuisset. — *Gregorium* Naz. scriptor verba Christi in mente habuisse hoc nititur argumento: w całej liturgii niema żadnych innych słów, któreby wyrażaly mistyczny rozdział ciała od krwi, jak te: hoc est corpus meum (ad Ep. 171 M. 37, 280: φωνήν ἔχων τὸ ἕψος); haec interpretatio atque opinio est, non argumentum. — Apud *Gregorium* Nyss. (p. 126—8) scriptor non efficit illud καθὼς εἴρηται aliud significare quam panem a Christo iam antequam comederetur Corpus appellatum esse unde apparere panem in sacro faciendo Corpus non fieri διὰ βρώσεως. — Deinde si comprobes eius interpretationem, singularis fuit opinio quae falsa 1 Tim 4, 5 explicatione contineretur; an etiam eum locum ad Eucharistiam pertinere dixeris? — *Cyrilli Hieros.* (p. 130—7) silentium scriptor disciplina arcani explicat; mira sane explicatio cum sermo obscurus non sit. Ad M. 33, 1113—6 πάντως γὰρ οὗ ἂν . et M. 33, 1069—72 interpretandum nihil affertur. — Contra loci *Chrysostomiani* interpretationem (de prodit. lud.) afferri potest quod A. J. Maclean (Enc. Rel. Eth. VII 409) dicit: He thinks of our Lord as consecrating the bread and wine at the last Supper by this declaration or at least as consummating the consecration thereby; but he says that declaration, once made by Jesus at the Last Supper, consecrates the Eucharist for all time. Itaque si ratio habetur locorum De Sacerd. 3, 4 M. 48, 642; Hom. de coem. 3 M. 49, 397—8 (cf. M. 48, 753; 50, 432; 59, 253; 50, 458—9; 61, 204) existimasse videtur that every Eucharist is consecrated by the priest praying that our Lord's declaration at the Last Supper may make effectual the particular act on which he and the people are then engaged. Quodsi Salaville (Dict. V 237; EO 1908 XI 101—12; XIII 321—2) obicit In Mt 50, 3 M. 58, 507 certe, quod sacerdos Christi verbis utitur, id indicio est Christo effectum esse tribuendum, sed qua ratione, an per ea verba quaeritur; nec plus efficiunt quae affert ex In Mt h. 81, 5 M. 58, 744; etiam minus valet In 2 Tim h. 2, 4 M. 62, 612. — *Ambrosii* sententia, si scriptoris interpretatio De myst. 9, 52, 54 vera est (p. 148—50), haud scio an privato conatu nitatur epicleseos opinionem cum (Chrysostomi) sententia de vi verborum Christi conectendi; nec tamen res adeo explorata est. H. R. Gummey quidem, The Consecration of the Eucharist. Philad. 1908, p. 51 monet: Christ's proclamation at the first Eucharist: This is My Body, and His statement that is was His Blood He was giving to His disciples, are the Church's warrant for that blessing which makes, by the beseeching of the Divine acceptance and hallowing, the bread and wine to be the Body and Blood of Christ. To this act the worshipper answers: Amen. — In *Augustino* interpretando (154—60) non quaeritur sitne scribendum verbum an Verbum; De Trin. III 4, 10; Ep. 149, 16 (M. 33, 636 s.) non examinantur; etiam minus explicatur, cur contra Donatianos vis verborum evangelicorum in baptismo conferendo praedicetur (De bapt. VI 25, 47; 36, 70 M. 43, 214, 220; III 10, 15 M. 144), in Eucharistia non item. — *Io. Damasc.* negat aliter sensisse ac priores. — Propius ad

veritatem videtur accessisse Lebreton, cum graecae ecclesiae patres diceret epiclesin pro parte essentiali formae Eucharistiae habuisse (R. pr. d'Apol. 1907 IV 430 not.) Cf. opinionem R. Thurston in RCIFr 1918 (54) 536; Cabrol in DAChrL I 1558 (Amen).

Liturgica testimonia p. 200—66 collegit; a p. 267 quid inde efficiatur exponit: 1) Solum tres liturgiae iacobiticae verba Christi omittunt (de Cyr. Hieros. iam vidimus; de Greg. I. Ep. 9, 12 nihil audimus). 2) In nonnullis liturgiis verba Christi exordio adornantur: in liturgia clementina sacerdos se mandatum Christi exsequi dicit; in lit. alex. s. Greg.: istius meae libertatis offero tibi symbola et verbis tuis res effectas describo; in lit. s. Marci diaconus monet: ἐκτείνετε; in lit. gr. diaconus rem significat flabello quod super calicem et patenam ventilat; hripidia enim caelestes sunt spiritus qui mysterium contemplantur et adorant. 3) Quaedam caerimoniae inter verba pronuntianda praescribuntur a) caput inclinandum Lit. s. Marci Daniel IV 160; b) celebrans Christum imitatur se pro eo substituens: accipit oblatam: Lit. Iac. (Ren. II 32); levabit oculos: Lit. Bas. (Ren. I 14); εὐλογεῖ: Lit. Bas. (Daniel IV 429); c) magna voce verba pronuntiantur (ἐκφωνεῖ) Lit. gr. Iac. (Daniel Cod-lit. 110—12, 113—4; Brightman 53—4; Lisowski p. 206); (ἐκφώνωσ) Lit. Marci (Ren. I 157—8), Basilii (Brightman 328); (elevans vocem) Lit. Iac. (Ren. II 32). — Adduntur autem verba: Accipite, manducate, credite et certi estote, atque praedicate et docete: Lit. Marutae (Ren. II 263); cf. Lit. Dionys. Athen. ep. (Ren. II 205), Lit. Dioscori patr. alx. (Ren. II 288); Lit. syr. Io. Chrysost. (Ren. II 245); Lit. Iac. cogn. Bordayaei (Ren. II 335); d) diaconus alterius praecursoris personam induens et quasi Ioannis verba sibi usurpans dicit: Ecce, Agnus Dei (Brightman 386); cf. M. Hałuszyński A. I. C. Vel. 1908, 63; Mal'cev, Liturgikon 234). 4) Populus respondet: Amen (Gummey p. 331—2 e P. Rompotou Leitourgikē rem explicat). Contra 1) Epiclesis deest in Liturgia Aadaei et Mar. (Salaville DThC 212) et in 2 aethiop. (s. Virg. et s. Greg. Alx.; ibid. 213), nec tamen de effectu dubitatur; forma autem epicleseos quae nunc est et de qua quaeritur, ante s. III. non fuit (p. 277). 2) in nonnullis liturgiis (Serap., Marci, copt. s. Cyrilli) duae insunt epicleses: altera post Christi verba, altera ante ea; sunt, in quibus non insit nisi haec posterior, cui nemo unquam vim consecrandi tribuit. 3) Liturgia romana non videtur habuisse epiclesin; contra Hoppe Salaville, Mal'cev, alios negatur „Supplices“ continere epiclesin graecae similem (p. 259—262; liturgia orientalis habet: angelorum p. 248); at in epiclesi commemorari Spiritum S. necesse non est. Cf. Duchesne, Origines du Culte chr. 1898, 173; Gummey 127—31. 4) Cum verba Christi eadem semper sint, epiclesis varia est (pro natura rei!) 5) Caerimoniae et verba epicleseos non explicantur nisi sumitur panem et vinum iam consecrata esse: Lit. copt. Greg.: tu coram nobis positus; Lit. syr. Iac.: super Eucharistiam hanc; Lit. gallic.: mutatum, versum (Mabillon, De lit. gall. 299). 6) In Petri Mogilae missali (1639) verbis Christi enuntiatis adoratio praescripta erat; in ecclesia latina a s. XII. elevatio. — Adversariorum argumenta parum considerantur: velut verba Christi primitus defuisse in ritu missae (KARABINOV, Evcharist. mol. 1908; W. HEIGMÜLLER, Taufe u. Abendm. im Urchr. 44); iam ante verba Christi prolata adorari (μεγάλη εἰσοδος): STEITZ, Abendm. d. griech. Kirche in JfdTh 1868 p. 682); ad consecrandum pertinuisse orationem, quae in Didache et Const. Ap. (Funk 410—12) et Lit. Serap. (Funk 175) verba Christi consequitur; cum vel ipsa Christi verba parum idonea videantur ad Eucharistiam a nobis conficiendam (effundetur, physice), modum quo afferantur in nonnullis liturgiis etiam magis ab ea vi abhorreere: velut in lit. Serap.: hic panis sancti corporis est similitudo quoniam D. Iesus in qua nocte . . (Funk 175). Signa crucis quae super dona consecrata fiunt scriptor contra HOPPE negat habere vim benedictionis (p. 262—6).

P. 282 ss. scriptor alias addit rationes: Consecratio fit in puncto temporis; in epiclesi autem omnia verba a primo ad ultimum eandem vim haberent. Forma consecrationis a sacerdote Christi vicario enuntianda est; epiclesis autem hoc modo non enuntiatur; cf. A. Straub, De eccl. Chr. 1912 n. 710 II p. 86: in verbis Christi traditis exhibetur loquens de se Christus, quamvis ore ministri id quod pro conficiendo sacramento omnium maximo.

ut essentielle intendere profecto Dominus potuit. . . . quo pacto indicativo prae illo deprecativo elucet potestas excellentiae Christi ut hominis quod momentum potestatis excellentiae Christi exprimentae item convenienter Christus, si voluit, ut essentielle statuit. — Constat (contra interpr. Mc 14, 23; Lit. syr. XII. apost. Renaud. II 171, Iacobi Edess. II 373, Gregorii Abulpharag (II 459), Ignat. patr. Ant. II 514, Nestorii I 629, copt. Basili I 15; cf. Iren., Haer. V 33: cum bibisset et dedisset. . . ; Innoc. III. M. 217, 859; Odo M. 160, 1063, Catharin., Enarrationes p. III 1552, 188—90, Cheffontaines, De necess. correctione theol. schol. p. 47 ss., Hoppe, Epikl. 298; Watterich in RITH 1897, 106—7) Christum ipsum verbis: Hoc est corpus, consecravisse (Tert., Cyr. Hier., Io. Chrys., Ambr.). Ergo.

P. 289—305 exponitur quo modo epiclesis hucusque explicata sit. Turrecrematae sententia, quam secuti sunt Allatius, Arcudius, Georg. Coresius, Bellarminus, Suarez, Vasquez, de Lugo, Billuart, Leoni, Smolikowski, Bickell (Katholik 71 II 1871, 545), J. Cieplak, Karabinov etc. Deinde p. 305—16 origo epicleseos explicatur. A Trinitate introductâ forma aliqua eius repetatur, universa repeti vix potest, etsi (contra Batiffol) epiclesis Spiritus S. iam s. II. videtur usitata fuisse si Hippolytus testis est „apostolicae traditionis“ nec epicleseos Verbi aliud exemplum certum inveniatur nisi lit. Serapionis. (s. IV.); multo minus gnosticae originis videtur esse (cf. G. Anrich, D. ant. Mysterienwesen 1894 p. 98 s. 105.)

Universa quaestionis vis naturâ sacramentorum continetur, quam scriptor non explicat.

Restat ut eius diligentiam laudemus et pro opera in re consumpta gratias agamus.

A. Špaldák.

CZESLAW SOKOŁOWSKI, *Życie dogmatu*, Warszawa 1913, pg. 48.

Libellus continet orationem, quam scriptor habuit Warszawiae 10. febr. 1913 postulante Associatione cath. mulierum polonicarum. Refutata falsa opinione de essentia dogmatis, acsi hoc esset iudicium sine ulla ratione factum, dat veram notionem eius, explicat, quomodo dogma componi possit cum rationabili obsequio et quo sensu dici possit dogma se evolvere, quod illustrat in dogmate de immaculata conceptione B. M. Virginis. In fine omnia resumens accuratius ostendit falsitatem opinionis modernistarum de dogmate christiano qui dogmata symbola mutabilia ad affectum pium excitandum apta dicunt. Concludit sermonem optans, ut culti catholici de rebus theologicis institui studeant, neve putent theologiam non esse nisi pro theologis.

M. Daněk.

Edw. Abramowski, Telepatya doświadczalna, jako zjawisko kryptomnezyi. Warsz. 41 p. (rec. St. Podoleński in Przegl. Powsz. 1912 II 411—2.)
Arcybiskup i Metropolita Warszawski J. E. Aleksandr Kakowski. Varš. 1913. 15 p.

Grz. Augustynik, Wspomnienie pośmrtne o ś. p. ks. Dominiku Kupuścińskim. Sosn. 1914 16 p.

Fr. Barda, Wiedza i wiara. Pozn. 1910 0,90 M.

Władysław Biegański, Traktat o poznaniu i prawdzie. Warsz. 1910. 230 p.

Mik. Biernacki, Teologia pasterska. Pozn. 1911 (Księg. św. Wojc.)

Bronisł. Bobrowska, Jak powstały religie? Krak. 1910.

Józef Bazar, Katechetyka. Lw. 1914 237+VII p.

B. Chelmiński, Nieomolność kościoła katolickiego. Pozn. 1914 104 p.

St. Chodyński, Szkoła 00. Reformatorów we Wrocławku. 1911, 48 p. (rec. Konopka in Przegl. Powsz. 1912 I 293—4.)

A. Chybiński, Teorya mensuralna w polskiej literaturze muzycznej. pierwszej połowy XVI. w. Krak. 1911 (rec. W. Gieburowski in Prz. Powsz. 1912 I 458—63.)

M. Czermiński T. J., Ks. Jan Beyzym T. J. 1850—1912. Krak. 1913. 243 p.

M. Czermiński T. J., O. Maksymilian Ryłło T. J. Misyonarz Apostolski. Tom. I. Krak. 1911 3·50 K.

Andrzej Dobroniewski, Modernizm i moderniści. Pozn. 1911. 158 p. 1·20 M.

- Karel Józef Fischer*, Konsekracja kościoła. Przemyśl 1911 VIII+147 (rec. Antoniewicz in Prz. Powsz. 1912 I 452—3.)
- Al. Fridrich*, Historie cudownych obrazów Najśw. Maryi Panny w Polsce I—IV 396+512+448+504 à 3 K (rec. Prz. Powsz. 1912 I 470—1.)
- Norbert Golichowski*, Kościół OO. Bernardynów we Lwowie. Lw. 1911 126 p.
- Gołąb*, Starania Polski o sobór powszechny i reformę kościoła za pontyfikatu Klemensa VII. Krak. 1911.
- J. Górka*, Dziewica orleańska. Tarnów 1910 (rec. Mies. Kośc. V 312—3.)
- Zdz. Jachimecki*, Józef Haydn. Krak. 1910. 90 p. (rec. Veselý in Hud. Rev. 1911, 98—9.)
- Jougan*, Nauki katechizmowe—Ks. Primas Woronicz (rec. J. Rejowicz in Prz. Powsz. 1910 I 237—9.)
- K. J. Kantak*, Kościół i Państwo. Pozn. 1911. 0,60 M.
- Fr. Klimke*, Darwin i jego dzieło. Krak. 1909.
- Edward Komar*, Kardynał Puzyna (moje wspomnienia). Krak. 1912. 164 p.
- Nasze Kościoły*, Djecezja Mińska. Pod red. ks. Jozaf. Zyskara. Warsz. 1914. 234 p.
- Księga pamiątkowa* ku uczczeniu 250-tej rocznicy założenia uniwersytetu lwowskiego. Lwów 1912 (cont.: *W. Abraham*, Założenie biskupstwa łacińskiego w Kamieńcu podolskiem etc.)
- P. Kulwieć*, Przewodnik pracy społecznej. Wilna 1910. 154 (pastoral.; rec. A. Lisiecki in Mies. Kośc. 1911 V 149—50.)
- Jan Kurczewski*, Opowiadania o dziejach chrześcijaństwa na Litwie i Rusi. Cz. I (Odb. ilustr. z Przyjac., zn. powiększa) Vilna 1914 234 p.
- Aleks. Lipiński*, Archeologia biblijna. Warsz. 1911 XXII.+425 (recj. Krużyński in Mies. Kośc. VI 77—9.)
- St. Lukomski*, Koźmin Wielki i Nowy, Monologia historyczna. Pozn. 1914. 558 p.
- St. Macios S. J.*, Swietobliwa Dziewica Gemma Galgani urodzona r. 1878, zmarła r. 1903. Krak. 1914 32 p.
- Miłkowski*, O modernizmie. Wilno 1911 45 kp.
- Feliks Młynarski*, Socjologia wobec teorii poznania. Jarosław 1910 312 (rec. J. Kodisowa in Prz. fil. 1910, 232—6.)
- Zdz. Morawski*, Canossa. Krak. 1911 (e Przegł. polski) 51 p.
- Z Opolski*, Studium o istocie pozemiany materii ustrojowej XXII+434 Krak. 10 K.
- Pawłowski*, Bibliotyka w streszczeniach. Warsz. 1911 90 kop.
- S. Pobłocki*, Krótkie żywoty kilku swiatobliwych i zasłużonych kapłanów dyecezyi chełmińskiej. Pelplin 1911.
- Ign. Radliński*, Apokryfy judaistyczno-chrześcijańskie w polskich prze-róbkách. Warsz. 1910 112.
- J. Radliński*, Katolicyzm, modernizm i mvsł wolna 1912.
- I. Radziszewski*, Geneza religii. Włocł. 1911. 1,80 r.
- I. Radziszewski*, Teologia a nauki przyrodnicze. Włocł. 1910 40 p. (rec. M. Szuca in Mies. K. V 320-1).
- Józef Rokoczny*, O papieżwie. Dwa odczyty. Warsz. 1910. 48 str.
- H. Romanowski*, Wstęp do ekonomii społecznej chrześcijańskiej. Warsz. 1910. 3 rub. (rec. J. Marciniak in M. K. VI 239.)
- Wl. Sarna*, Biskupi przemyscy obrządku łacińskiego II (1624—1900). Przem. 1910 351+31 p. (rec. Konopka in Prz. Powsz. 1912 II 255—9.)
- Paweł Smolikowski*, C. R. Najświętsza Pania Pompejańska. Krak. 1914. 26 p.
- Henryk Struve*, Historia logiki jako teorii poznania w Polsce² Warsz. 1911 536 p.
- Szkice* o modernizmie, Krak. 1911 301 p. (rec. Steuer in M. K. VI 316—9.)
- Bronisław Szlubowski*, O Kościół w Opolu. Rozprawy w Izbie Państwo-wej Peterb. nad interpeł. Kola Polskiego. Warsz. 1910. 284+II str.
- I. Szmidt*, Współczesna kwestya religijna i modernizm. Wars. 1910 60 kop.

Szydelski, Arcybiskup Szierakowski i szkoły parafialne w archidiecezyi lwowskiej. Lwów 1911 p. 79 1·50 K (e Przew. nauk.; rec. Kantak in M K VI 76—7; Konopka in Prz. Powsz. 1912 I 292—3.)

A. Szymanski, Katolicyzm socyalny we Francyi. Włocł. 1911. 56 p. 0,40.

St. Trzeciak, Literatura i religia u żydów za czasów Chrystusa Pana. 2 cz. Warsz. 1911 (rec. W. Michalski in M K VI 397—400.)

St. Trzeciak, Rozwoy naturalny Chrystyanizmu z innych religii. Spb. 1912.

Trzciniński, Katalog rękopisów biblioteki kapitulnej w Gnieźnie aż do początku wieku XVI. Pozn. 1910.

Kazim. Twardowski, O filozofii średniowiecznej. Lwów 1911. 1 K.

Wais, O-zwierzęcem pochodzeniu człowieka. Lwów 1911. 1 K.

S. Wesołowski, Po za Kościołem nie ma zbawienia. Pozn. 1911. 139 p.

B. Wilanowski, Prooctva Starego Testamentu a Chrystyanizm. Warsz. 1912 XX+95.

Wołyniak, Notatka o niektórych naszych siedzibach trynitarskich. Krak. 1912 108 p. (rec. Prz. Powsz. 1912 II 431.)

Stanisław Wysocki, Dekrèt „Maxima Cura“ o usuwaniu proboszczów w drodze administracyjnej. Lw. 1911 59 p.

Zegarliński Zagadnienia społeczno-moralne. I. Prawo własności. Krak. 1911 IV+316 (rec. Z. Cieplucha in M K VI 476 7.)

J. Zubrzycki, Po ziemi ojczystej! I. Katedry polskie 1. gnieźnieńska. 2. poznańska. 3. wileńska. 4. 5 lwowska (2+2+2+4 K) Kraków 1911.

(*Fenicki* T. J.) Świętobliwe życie Przewielebnej jej Mści Panny Zofiej z Granowa Sieniawskiej. Ed. Jan Gajkowski (e mscr. 1650). Krak. Warsz. 1911 194 p. (rec. Kantak in M K V 313 4; Prz. Powsz. 1912 I 302.)

Stan. Żukowski, Komunia dzieci w świetle dekretu „Quam singulari“ Lw. 1911 1·50 K.

Russica.

VI. N. Strażov: Второе посланіе св. Ап. Павла къ Θεσσαλονικійцамъ. Второе посланіе sv. Ap. Pavla k Thessalonikijsam (Secunda S. Pauli Apostoli ad Thesalonicensis Epistola.) — Sergiev Posad 1911. 2 r. 25 kop.

Opus hoc potius exegetica monographia de secunda s. Pauli epistula ad Thessalonicensis dicendum est quam commentarius. Ex 394 paginis totius libri 266, itaque multo maior operis pars, quaestiones introductorias pertractat. Quod mirum esse nequit, si consideratur, quot difficultates, quot quaestiones, immo aenigmata inter Pauli epistulas haec potissimum exegetis omnium temporum praebent. Vix est alia Pauli epistula de cuius sententia et interpretatione tot diversae et inter se repugnantes opiniones viguerint et vigeant. Illae difficultates inter exegetas agitatae ante omnia pertinent ad epistulae auctorem, quam multi ex recentibus s. Pauli esse negant hanc sententiam suam im primis discrepantiis quae inter primam et secundam ad Thess. epistulam videntur esse demonstrantes. Non minoris momenti sunt praeterea difficultates, quas eschatologicum huius epistulae argumentum continet, de quo fere dicere licet „quot verba, tot aenigmata“.

Scriptor in prima parte duplicem rem sibi proposuit: quaerere, quid et antiqui et recentiores, imprimis protestantes, exegetae et docti viri hac de epistula sensissent; porro ostendere, quaenam ex illa diversarum opinionum colluvie verisimillimae essent.

Origine ecclesiae Thessalonicensis enarrata atque argumento et analysi totius epistulae propositis ad quaerendum cuius sit aggreditur (p. 56—135). Copiose et accurate ac vere sine ira et studio recenset longam illam seriem obiectionum, quas recentiores viri docti protestantes contra huius epistulae auctoritatem procedente tempore attulerunt. Pariter copiose et accurate has obiectiones refutat et Pauli esse secundam ad Thessalonicensis epistulam firmiter defendit. In similitudine primae et secundae epistulae explicanda scriptori maxime placet opinio a Jülichero proposita (p. 124): „Cum falsa de adventu Christi opinio quae Thessa-

lonice divulgata erat ipsius Pauli opinio esse crederetur, apostolus accurate in memoriam sibi revocare debuit, quae ante aliquos menses in prima epistula Thessalonicensibus scripserat, debuitque cognoscere num ipse dederit ansam ad illas falsas interpretationes.

Quare omnino intellegitur Paulo secundam epistulam dictanti in memoriam rediisse locutiones et voces epistulae prioris. Convenientiam vero rerum, de quibus apostolus in utraque epistula loquitur, secuta est etiam convenientia dispositionis et formae inter utramque epistulam.“

Duo capita, quae sequuntur (136—266) de doctrina eschatologica secundae ad Thessalonicenses epistulae scripta sunt. Magni pretii est historicus conspectus, in quo diversae illae explicationes secundi capituli commemorantur inde a S. Irenaeo usque ad auctores recentes propositae. Ipse scriptor omnino sequitur eam quae tradita est in Ecclesia orientis et occidentis doctrinam. „A p o s t a s i a“ est religiosa et moralis defectio a Deo (p. 237), animus a credendo alienus et ad peccandum proclivis, quo homines perturbationibus animi servientes laborabunt, „H o m o p e c c a t i“ seu antichristus erit persona singularis; incertum est utrum tyrannus gentilis an pseudomessias iudaicus. C o n t i n e n s „τὸ κατέχον“ est potestas civilis status, quae ordinem religiosum et moralem servat et ita impedit quominus Antichristus appareat; „ὁ κατέχων“ vero est hic vel ille homo gerens potestatis illius. (p. 255); „T e m p l u m D e i“ 2 Thess 2, 4, in quo Antichristus sedebit, est templum hierosolymitanum, quod ante finem mundi restituetur.

Commentario, qui sequitur (p. 267—382), clare et subtiliter tota epistula explicatur.

Scriptor litteraturam, quae huc spectat, imprimis recentiora opera criticorum anglorum et germanorum, optime novit et frequentissime eorum opiniones allegat et recenset. Hoc vero imprimis laudandum et comprobandum, quod nusquam auctorum recentium omnia negantium arbitrium sequitur, sed integram doctrinam Ecclesiae et ss. Patrum firmiter tuetur. Etiam catholici opus scriptoris cum magna utilitate legere eique in rebus omnibus assentiri poterunt. Litteris theologicis russicis opus scriptoris sine dubio magno decori est.

Genus dicendi eius est perspicuum; materiam proponit et tractat modo claro et facili, quo fit, ut lectio eius libri non solum eruditionem scriptoris testetur, sed etiam legenti cum utilitate delectationem afferat. Sane desiderandum, est, ut scriptor Vl. N. Straxov similes commentarios ad alias quoque epistulas Paulinas scribat.

Dr. T. Hudec.

Vladimír Parxomenko, Начало христианства Руси. Poltava 1913. 191 p.

Scriptor iam antea complura scripserat; velut: Očerk istorii Pereraslavsko-Borispoljskoj eparxii (1733—1785 gg.) Polt. 1910 1 r. 20; „Drevne-russkaja knjažina sv. ravnoap. Oljga, roskošnoe izdanie. Kiev 1911 1 r.

Initia christianismi in Russia exponit. S. Andream Sinope fuisse veri dissimile non esse, sed in litus septentrionale eum venisse credendum vix esse. (p. 3). Dubium non est quin brevi post 860 Russia baptizata sit et episcopatus institutus; cuius rei Photius testis est. Leone VI. imperatore (886—911) inter alias patriarchatus byzantini dioeceses russica commemoratur (p. 17). Quae cum ita sint, illud quod ss. Cyrilli et Methodii vitae pannonicae de Cyrillo in Chersoneso cum Rutheno quodam congresso et de evangelio et psalterio in Russicum conversis quae ibi invenerit, narrant, alicuius momenti sunt. De Russiae meridionalis maritimae incolis variae sunt opiniones: 1. gothico-normanica (V. G. Vasiljevskij, E. E. Golubinskij, F. K. Brun, alii): Gotorum qui s. IV. demigrarunt reliquias in Crimaea mansisse; credendum autem vix est eas s. VIII—IX adeo convaluisse, ut vicinis metum inicerent. 2. normanica (A. A. Šaxmatov): Normanos e Scandinavia immigrasse; id quod non solum testimoniis Normanorum, Byzantinorum, Arabum non confirmatur, sed etiam cum inimicitiis inter veros Normanos s. X.—XI. migratos et septentrionales discrepat; nec liberum iter fuit, sed Bulgari, Chazari, Alani vincendi erant. 3. slavica (Parxomenko): qua discrimen archaeologicum s. IX—X inter Kioviensem et Novgorodensem regionem (illam Byzantio apertam, hanc Normanis et Bulgaris) explicatur (p. 32.) S. VIII. duo erant Russorum genera: septentrionale et meridionale per Polonos separata (p. 102); s. IX.

nomadum migratione tria orta sunt: Novgorodense (ad Turunt et Borysthenis fontes), Kioviense (mer. occ.) Tamatarchense (mer. or: Tmutorokanj, cuius caput Arta ab Arabibus vocatur, p. 46, et cuius incolae Antai iam s. IV. a Byzantinis commemorantur, p. 48). Tertia pars prima evangelio patuit: ibi Cyrillus evangelium russicum invenit, ibi episcopus fuit (56). Eius partis historia obscura est; eam floruisse tamen constat etiam Ascoldo Kioviae regnante; 960 sub dicionem Kioviensem redacta est, cum a. 914 magna clade debilitata esset. S. XI. Mstislavo Vladimiri filio regnante iterum florebat (58-9). Contra V. I. Lamanskij et G. M. Barac scriptor tuetur religionem christianam inde illatam Kioviae paulatim ab Ascoldo incrementa cepisse, etsi ei magnopere resisteretur (p. 67). Dirum medio s. IX. regnasse ante Ascoldum existimat, utrumque autem indigenam fuisse (p. 70). Religioni christanae Byzantium et principes Byzantii opes admirantes favabant, populus infestus erat. A. 907—12 a vetustatis amicis Igor, vir nobilis, Ascoldi fortasse consanguineus, Oleg principe novgorodensi (normano) adiuvante rex factus est (p. 88). Is Olegi propinquam, Olgam nomine, uxorem duxit (104). Certamine cum Svēneljd, qui Olego successerat, orto propter vectigalium exactiorem (121) et propter opum novgorodensium incrementa (122), Igor interiit; nec subacta est Novgorod nisi a Svjatoslav filio (123). Olga a. 957 Byzantium venit (129), ut pro auxiliis gloriam affinitatis cum imperatore obtineret; rebus infectis rediit nec tum baptizata est (132). Repudiatae Otto imperator videbatur adeundus, ut sacerdotes in Russiam mitteret (136). Cum Libucius episcopus decessisset Adalbertus demum a. 961 exeunte venit post annum rebus infectis rediturus. Interim enim Const. Porphyrogeneto mortuo (959) byzantinas opes pluris aestimans Olga ad propositum reversa a Romano II modestiora petierat et inter aestatem 960 et autumnum 961 baptizata erat. Latinis hierarchis provincia ablata erat (144). Etsi studium Russos ad Christum convertendi et actionis byzantinae fructus modestus multorum odium concitavit, Olgae exemplum magni momenti fuit (145). Conversio autem exterior intellegenda est, non mentis morumque mutatio (106. 113). Svjatoslav, adversariorum princeps, Olgae filius Novgorod suae dicionis fecit; Svēnelji filii Lut et Mal-Mistiša tum interiierunt; Maluša, huius filia, una e Svjatoslavi uxoribus, Vladimiri mater facta est (151). Commercium cum Novgorod paganorum vim auxit (152).

Sed commercium cum Chazaris et Bulgaris conspectum extendebat; maximam vim Bulgarorum liturgia slavica habuit. Jaropolk Svjatoslavi filius qui Kioviae regnabat et matrem habuit graecam monacham et cum Měčislavo 966 baptizato commercium habuit (Otto 973; legatiorum 979) (p. 160). ante mortem a latinis missionariis baptizatus est. Sed etiam eius consiliis multum repugnatum est et a Vladimiro fratre qui Novgorod tenebat victus interiit (166). Haec ultima erat adversariorum religionis christanae victoria. Ipse Vladimir eius dulcedine victus cum comitibus et populo baptizatus est mense apr. — maio a. 988, cuius rei occasionem foedus cum Byzantio et matrimonium cum byzantini imperatoris filia (quod tamen ante 990 non convenit) dedit (178—80). Conversio paulatim facta est nec ab initio satis seria erat. Vladimir nondum hierarchiam instituit, sed a Bulgaris libros liturgicos et litteras christianas petiit et cum Roma quoque egit ut Byzantii auctoritatem minueret, quae alio spectabat atque ad religionis christanae prosperitatem.

Scriptor de his rebus quaerere perrexit in *Izv. Otd. russk jaz. i slov. I. A. N. 1913* (Tri centra drevnejšej Rusi) et 1914 (K voprosu o xronologii i obstojatelstvax žizni lětopisnago Olega. — Počemu Svjatoslav posadil synovc, svoix — Olega v zemle Drevljanskoj i Vladimira v Novgorodc?) etc. *A. Špaldák.*

M. D. Priselkov. Очерки по церковно-политической истории Киевской Руси X—XII. ВВ. Spb. 1913. 2.50 r. (rec. Parxomenko in *Izv. Otd. r. jaz. i slov. I. A. N. XVIII 1913*).

Inter alia existimat Vladimirim hierarchiam ecclesiasticam nec a Byzantinis nec ab occidentalibus accepisse sed a patriarcha Bulgaro (Achr'densi); Niconem hegumenum et chronicon scriptorem non fuisse alium nisi Hilarionem qui a. 1051 metropolita designatus esset. Apparet etiam post a. 1054 in Russia amicos occidentis fuisse velut principem Iziaslav et Theodosium hegumenum rčeriensem.

A. S. Šmakov, Еврейскій Вопросъ на сценѣ всемирнй исторіи. М. 1912 (II + 173 + 61).

Investigatur, quibus rebus gerendis Iudaeorum intervenerit et adhuc interveniat societas, qua licet occulta regatur mundus. Multa hinc repetuntur sed paucissima documentis probantur. Sed planum est indolem gentis aut rerum gestarum naturam quamvis accurate cognitam non sufficere ad statuendum eos intervenisse. Quare mirum non est, si quaedam omnino falso explicantur. Ut exemplum afferam, verum est Iesuitarum ordinem se ab elementis gentis Iudaicae integrum conservasse non imprudentem (p. 28) Iudaeosque ei infestissimos fuisse, sed falsum eum similiter atque illos appetere mundi regnum; quapropter Russiae commendandus erat a scriptore de salute desperante.

N. N. Glubokovskij. Историческое положение и значение личности Θεодорита, епископа кирскаго. (Quale momentum habeat in historia et qualis ingenii fuerit Theodoretus, episcopus cyrensis) St. Peterburg 1911.

Oratio est, quam prof. Glubokovskij 5. maii 1891 habuit, antequam ad propugnandam suam, quam scripserat dissertationem accessit: *Beatus Theodoretus, episcopus cyrensis quomodo vixerit et quid scripserit*, 2 tomi, Moskvaе 1890. In oratione *G* exponit causas, quae eum moverunt ut accuratius enarraret vitam Theodreti, innuit aliqua de eius vita, persona, operibus, pollicetur se aliqua facta eius vitae in alia luce ostensurum esse atque hucusque factum sit. A pg. 13—30 recensentur libri, in quibus de Theodoreto agitur. *M. Daněk.*

N. V. Pokrovskij, Очерки памятниковъ христіанскаго искусства и иконографіи (XIII + 450 pag 236 imag.) Spb. 1910.

Scriptor proposuit sibi analysi praecipuorum artis et antiquitatis monumentorum incrementa gradusque describere artis et picturae sacrarum imaginum, maxime ad orientem. Profectus ab antiqua christianorum arte de byzantina et russica — monumentorum kioviensium, novgorodensium, vladimirensium, moscoviensium exponit. Unde ad artem XVI—XVII s. transit. Vladimirensia enim Itali artifices sibi imitanda proposuerunt. Copiose de decretis centum capitum (Stoglav: de Trinitate effingenda etc.), concilii a. 1554, posterioribus ad imagines sacras pingendas pertinentibus scribit. Deinde p. 325—60 de iconibus russis exponit (de iconographis Procop. Ćirin, Simone Ušakov etc.). Sequitur caput de muris pictis s. XVI—XVII (imprimis de ecclesia Ioannis Praec. Tolčkoviensi p. 374—90), ubi etiam de argumento iconostaseon antiquarum disseritur (396—8). Ultimum caput est de podlinniki i. e. enchiridiis artificum et iconographorum plerumque secundum kalendarium compositis. Gratiam habemus scriptori quod maximam libri partem russicae arti reliquit de qua non multi Russi (Saxarov 1850, Rovinskij 1865, Zabēlin, Filimonov 1873, Uvarov, E. E. Golubinskij 1872, comit. P. S. Uvarova 1887, T. I. Uspenskij, I. D. Mansvetov 1881. 1883 A. P. Golubcov 1897, D. V. Ajnalov 1890, N. P. Ližačev, A. A. Pavlovskij 1890 E. K. Rēdin 1896, V. I. Uspenskij 1899 etc.) scripserunt, inter quos optime meruit T. I. Buslaev (*Obščita pontatita o russkoj ikonopisi*). Desideratur index rerum in tali libro omnino necessarius. Imagines generatim parum accuratae sunt, non idoneae ad res studiose cognoscendas. *A. Š.*

Пѣсни русскихъ сектантовъ мистиковъ. Sbornik sestavlennyj T. S. Roždestvenskim i M. I. Uspenskim (Zap. Imp. Russk. Geogr. Obšč.) Spb. 1912 (LV + 871 + 23 tab.).

Cantica pietatis et poëseos plena. Interpretatio necessaria sub vocibus litterarum ordine digestis comprehenditur; quae proprie interpretatio non est, cum singulis locis intellegendis inde satis provisum non sit; maioris momenti erat indicare quae ad singulos locos explicandos colligi possunt quam quid hic vel ille de angelis vel aliis rebus senserit afferre. Desiderantur multa in exponendis chiasmis aliisque sectis. Si quis ex agricolis orthodoxis religionis doctrina parum instructis quaerit v. c. de angelis quales sint etc. eadem credo repugnantiarum congeries animadvertetur; quam appellare religionem orthodoxam non possumus. Tamen quae de sectis hucusque exposita sunt, hac ratione videntur peccare. In hoc libro de Spiritu S. ethnicum dixeris scripsisse; quae collecta sunt de eo biblica et christiana sunt, si verba poëtica (velut: vo guseliki igrati Duxa Sv. = vaticinari) excipis, sed depravato modo relata. Non inquiritur unde singulae opiniones haustae sint, e religione christiana an e mythologia pagana id quod facilius condonatur. Quae sit sectae doctrina primum erit cognoscere cum sectis libertas promissa erit

in concilio pleno eam statuendi; quo facto sua sponte exstinguerentur. — Codices manuscripti accuratius describendi erant. Velut de 3. non solum scribae nomen sed etiam tempus quo scriptus sit et locus ubi compositus sit silentio praetereuntur; ubi inveniatur de nullo commemoratur. Cur solum ea collecta sint quae in illis 4 codicibus et in libris typis exscriptis continentur nec nova colligi tentata sint, non explicatur. Cod. 2. cantica collecta certe iam erant, sed e sola regione Voronežensi et ab uno homine. Moduli 10 tantum breviter indicantur; duo carmina quorum verba subiecta erant in indice qui ad usum transferri vix potest frustra quaesivi. Imagines aliquot additae sunt, sed quo pertineant non discimus. Quid sibi velit oğlavleniē quod in ultimo libro additur non apparet; utilissimum autem esset si verba quibus cantica incipiunt litterarum ordine composita essent.

A. Š.

V. Gerje, **Блаженный Августинъ** (Blažennyj Avgustin). Beatus Augustinus. Moskvaē 1910 p. XV + 682.

Vita gestaue Augustini in hoc volumine depicta, in fronte seriei posita sunt monographiarum virorum, qui de Ecclesia antiqua bene meriti sunt, cui nomen Зодчіе и подвижники божяго царства (architecti et operarii civitatis Dei).

In prooemio G. animadvertit, curriculum vitae S. Augustini imaginem illius pugnae praebere, quam aetate Constantini M. christiani contra gentiles eorumque cultum inierant. Ex indole Ecclesiae arma spiritualia tantum christianis decent, quibus „Dei civitatem“ protegant. Sed aetate quae vocatur media hierarchae latini veram Ecclesiae notionem Augustino spreto adulteraverunt, societatem quippe spiritualem externa dominatione commutantes! Vel ex his ieiunis iudiciis facile concludimus, quo animo et quo consilio G. librum scripserit.

Vitae S. Doctoris cursum G. 11 capitibus comprehendit: 1.^o de Augustino adulescente, 2. de A. asceta, 3. episcopo, 4. idolorum insectatore, 5. De Civitate Dei Augustini, 6. de eius philosophia historiae, 7. De Africa Romana, 8. De Augustini conatu unitatis fidei et Ecclesiae restituendae, 9. De Ecclesiae atque civitatis contra schisma certamine, 10. De victoria tollentium liberum de rebus divinis sentiendi arbitrium, 11. Quid de Ecclesia, papatu, civili potestate Augustinus senserit.

Augustini adulescentiam paucis percurrit Confessionibus descriptam. Placet, quod existimat, Augustinum per hunc librum peccata propria publice prodere, publicamque poenitentiam suscipere voluisse, cum clerici illius aetatis a disciplina publicae poenitentiae immunes essent. Confessiones davidicis psalmis G. aequiperat, qui mediam viam inter prosam orationem et poesim tenent. Ceterum G. apte contra Momsen monet, peccata, de quibus Augustinus sese accusat, nimis atrocia non fuisse.

Conformationem spiritualem Augustini quae baptismum secuta est enarrat. Ei iam ante Ciceronis Hortensius, paulo post Platonis scripta lucem praebabant ut doctrinis fidei morumque christianis penitus imbueretur. Diligentissime G. dat operam, ut doceat, quomodo notio boni et mali in Augustini mente paulatim adoleverit. Scriptori adiumento erant haec opera: G. Boissier, La fin du paganisme (1891); Fr. Wörter, Die Geistesentwicklung des hl. Aurelius Augustinus bis zu seiner Taufe (1892); H. A. Naville, St. Augustin, Étude sur le développement de sa pensée jusqu' a l' époque de son ordination (1872); J. F. Nourrisson, La philosophie de St. Augustin (1865).

A dualismo manichaeo Augustinus primo ad Platonis dualismum progressus, deinde in ascetismo christiano, qui in fuga mundi consistit, portum securum consecutus est. Ipsius Augustini litteris demonstratur, quanti statum monachorum fecerit et quam pie de eo senserit, cuius studii optimum testimonium edidit cum ipse simul cum aliis clericis vitam communem institueret. Adversus G. Völter (Der Ursprung des Donatismus 1883) G. negat circumcelliones illos, donatianos assecelas, genus quoddam monachorum ulla ratione fuisse, tenetque Augustinum primum vitae monasticae in Africa fundamenta iecisse. Dein explicat, cur Augustinus potius vitam communem eremiticae anteposuerit, quid de proprietate bonorum deque continentia senserit.

Antequam de episcopali Augustini officio exponat G. quaerit, unde auctoritas illa, quam episcopus saec. 5. habuisse constat, orta sit. Concludit saeculis ex-

actis cum christiani vexarentur pastores ecclesiasticos plebi optimo praeiisse exemplo; unde summam episcoporum reverentiam esse natam. Praeterea forma municipalis, in imperio Romano passim introducta, similis formae in ecclesia causa fuit. Tum privilegiis, quibus Constantinus episcopus donavit, horum auctoritas maxime aucta est. Plurima, quae *G.* de Augustino episcopo narrat suavissime leguntur, velut de iure episcopi in foro saeculari in causis fidelium interveniendi, de iure asyli ecclesiastici, de usura, quid Augustinus de proprietate bonorum et divitiis senserit, de civitate Dei, de unitate Ecclesiae.

Primum, quod *G.* Augustino exprobrat, est civitatem iure praeditam esse legibus severis ac vi haereticos ad credendi unitatem cogendi. Qua ratione, Augustinus, cum initio episcopatus contrariam sententiam amplexus esset, infamibus posterioris aetatis inquisitoribus viam fecit. Immerito Augustinus reprehenditur. Donatiani, saltem postquam convalescerunt, non solum contra Ecclesiae dogmata armis spiritualibus decertabant, sed maleficiis quaeque et seditioibus quietem publicam atque securitatem civium incertam reddebant. Apte proinde ipse *G.* motus donatarum cum populari illa seditione, in Anglia Wiclifii aetate mota, et cum bello colenorum in Germania Luthero vivo orto comparat. Nonne ius Afris catholicis fuit petendi, ut imperatoria maiestas potentia profana pacem restitueret et suae incolumitati provideret? S. Augustinus, cum remedia placida nihil profuissent, potestatis civilis auxilium, comprobavit, non eo quidem consilio ferendum, ut minis atque armis religio catholica animis haereticorum inculcetur, sed potius ut orthodoxi a circumcellionum furore vindicarentur. Augustinum a furore sacro plane alienum fuisse, gesta ejus et opera abunde testantur. Quis credat, Russorum dominos ab Augustino nostro didicisse catholicos romanos iuribus plurimis privandos, a commercio cum suo legitimo capite arcendos, atque modis omnibus ad orthodoxa castra esse alliciendos?

Augustini de Ecclesia, de Papa, deque republica civili sententias enucleat. Romanam ecclesiam dicit et propter sedem imperii, et propter honorem tot martyrum ab initio aliis praestitisse. Accessit quod Romae Petrus episcopus fuisse ferebatur, cum tradita sibi pascendi universum gregem potestate (ЛЕГЕНДАРНЫМЪ ЕПИСКОПОМЪ РИМА, АПОСТОЛЪМЪ ПЕТРОМЪ). Translata imperii sede ad orientem de auctoritate episcopi huius urbis nihil est deminutum, quin concilia oecumenica, Constantino M. auctore coacta, firmiorem cam reddiderunt (ОСВЯТИЛИ ЭТОТЪ АВТОРИТЕТЪ). Episcopi quidem Constantinopolim a. 381 convocati ius senioris romano episcopo tribuerunt (СТАРШИНСТВО НАДЪ ВСЪМИ ДРУГИМИ). In turbis arianis saepe episcopi operam Romanae sedis posebant, synodus vero Sardicensis a. 344 romano praesuli potestatem tribuit, ut quolibet episcopo a propria sede depulso, simul cum vicinioribus episcopis de re iudicaret. Intrepida illa religionis defensio, quam Liberius contra imperatoris decreta suscepit, nonnihil cathedrae S. Petri honorem amplificavit, maxime postquam Theodosius constituit, ut omnes imperii cives Damasi romani et Petri alexandrini doctrinam sequerentur.

Cum Oriens hos auctoritatis romanae fines nunquam transgrederetur, in Occidente papae omni occasione atque artificio usi sunt, ut auctoritatem suam auferent. Ecclesia africana omni tempore in quaestionibus morum severitate insignis erat, quae paene fanatica fuit, cum romani hierarchae utilitatis rationibus pro opportunitate duci solerent, unde in indulgentiarum venalitate atque iesuiticam impietatem ventum est (624). Verum non est, a Stephano papa ab Ecclesia S. Cyprianum eiectum esse, Cyprianum diversissimam a romana de Ecclesia opinionem habuisse, quippe qui unam Ecclesiam, non tamen unum episcopatum profiteretur. Narrans de litteris, quas synodus carthaginiensis et numidiensis Innocentio I. de Pelagii erroribus miserunt, cum pontificem in rescripto romanam cathedram aliarum ecclesiarum radicem appellasse commemorasset, Augustinum cum sociis ideo putat tum romanae arrogantiae non obstitisse, quod dogmaticum tantum negotium spectarent! Unde scriptor hanc silentii rationem cognovit? Cum Zosimus Pelagii adiutorem Celestium quem primo excusaverat, post novas Africanorum episcoporum litteras condemnasset, *G.* narrat, ab Augustino Romani pontificis actionem ac supremam auctoritatem esse defensam, sed argumenta potius rhetoricae quam veritatis studio tribuenda iudicat.

His et similibus innixis argumentis scriptori exploratum videtur, Augustinum ab agnoscenda Romae suprema auctoritate omnino alienum esse, praesertim cum constet, illa verba „Roma locuta est“, ab Augustino dicta non esse. „Romanae ecclesiae summa verecundia studiosus fuit ita, ut suam libertatem theologiam conservaret; amplissimo ductus ingenio, caecus Romae obsequi noluit.“ Ecclesia, quam Augustinus mente conformaverat, ea non erat cui romanus episcopus vere praeesset. Claves, quae uni Petro traditae erant, Augustinus pro symbolo tantum unitatis ecclesiasticae habuit.

Augustinus concedit eos qui Petro succedunt apostatas existere posse. Unde Gerje statim cogit Augustinum negare papam esse ab omni errore liberum (непогрѣшимость, impeccabilitas), ac si apostatam fieri idem sit atque errorem docere ex cathedra. Nemo theologorum latinorum unquam dubitavit, quin papa peccare, in fide errare, quin religionem christianam deserere posset, nec tamen erroris immunitas, cuius naturam *G.* videtur ignorare in discrimen vocatur. Respondeat velim *G.*, cur Augustinus solum romanum episcopum eiusque apostasiam curet, non alios?

Omnibus Augustini scriptis diligenter perlustratis, *G.* pro tribunali sedens sententiam ultimam profert: Aetate quae media vocari solet Augustini sententias perperam interpretati sunt atque excoluerunt. Augustini civitas divina discrepat a civitate Gregorii VII et Innocentii III. Augustinus opinionem de civitate ecclesiae subdita, ac de Papae in reges potestate reiecerat. Romae tribuendum est quod ecclesia regum de hoc mundo, contra Christi voluntatem evenit. Augustini ecclesia episcopalis est, non papalis.

Itaque *G.* usque ad finem libri addictissimum centurionum magdeburgensium discipulum se praebet, Mediae aetatis umbra horrida eum diu noctuque terrificat.

J. Pejška.

Извѣстїя Русскаго Археологическаго Общ. въ Константинополѣ.

1911 (XV). 1912 (XVI).

T. I. Šmit, Blagověšćenie XV. 31—72 (rec. Viz. Vr. XX 70).

T. I. Šmit, Odin iz ikonografičeskix variāntov Kresćenija Spasitelja 73—91.

T. I. Šmit, Παναγία Ἀγγελόκτιστος 206—39 (rec. Viz. Vr. XX 83—4).

S. Pétridés, Le typikon de Nil Damilas pour le monastère de femmes de Baconia en Crète (1400).

M. Jugie, Nicolas Cabasilas, Panegyriques inédits de Mathieu Cantacuzène et d'Anne Paléologine.

M. G. Popruženko, Kozma Presviter. Reljefi iz baziliki Studija v Konstantinopolē XVI 1—359.

Миссіонерское обозрѣніе Spb. 1911.

Burov V. A., Iz dogmatiki baptistov, metodistov, presviterian, učenikov Xristovyx i drugix denominacij v Amerikē, Anglii i v pročix stranax. No 2, 263—271 (1910 No 11 1789—803).

Vasiljev N., Sovremennce sektantstvo v ego periōdičeskoj pečati. No 2, 242—254.

Vologodskie ioannity. (Materiāly k istorii sekty ioannitov). No 2, 348—358.

Gurij, prof.-ierom. Pravoslavnaia missija sredi lamantov-kalmykov. No 2, 412—421.

Denasij, rus. inok-patriot, sviatogorec. Istorija obraščeniā i prisoedineniā nēmea-luteranina k pravoslaviju i ego blažennaia končina na Atonē. No 2, 359—369.

Koreec P., O Missionskom Institutē (Proekt). No 2, 319—324.

Kruglov T., Iznanka staroobriadčeskix syēzdov i soborov. No 2, 296—318.

Mirianin, Avtobiografija moego duxa. No 2, 272—295.

Nesmejanov, Dimitrij, omskij missioner, Raskolo-sektantstvo v Sibiri po dannym Irkutskago syēzda. No 2, 325—347.

Pravoslavnyj. Nabludenija i vpečatlēnija na Vserossijskom syēzdē baptistov. No 2, 370—392.

Rudinskij, Grigorij, sviašč. Duxovenstvo v izobraženii sovremennyx russkix pisatelej. No 2. 430—442.

Čepurin, Nikolaj, svjašč. Žiznj i dējanīia gr. Ljva Nikolaeviča Tolstogo pred sudom ego učenīia. No 1, 30—35, No 2, 255—262.

Ščukin, Aleksěj, prot. Nēskoljko slov po slučaji učreždenīia pri Sv. Sinodē komissij dlia razsmotrēnīia voprosa ob ulučšenīi materialjnago položenīia pri-xodskago duḡovenstva. No 2, 499—502.

Aḡmatov, D., svjašč. K voprosu a zamēnē bogoslužebnago cerkovno-sla-vjanskago jazyka russkim. No 1, 13—29 str.

Busov, V. A., Amerikanskīe baptisty Soed. Štatov. No 1, 95—108 str.

Skvorcov, V. M. Dēiateljnostj pravoslavnoj missii (v 1910 godu). No 1, 171—181 str.

Skvorcov, V. Sektantstvo v 1910 godu. Mističeskoe sektantstvo Raciona-lističeskoe sektantstvo. Adventizm. Tolstovstvo. No 1, 182—197 str.

Urbanskij, A. svjašč. Besēda s mulloj. Sravnenie Īisusa Xrista s Muḡamed-om. No 1, 117—128 str.

Голосъ Церкви. 1913.

K. Faminskij. Novějšija popytki anglikan k soedinereniju s pravoslavīem i iḡotricateljnija storony (rec. Stran. 1913 II 276—9).

Христiанскiй Востокъ. 1912 (I).

I. A. Džavaḡov. Materialy dlia istorii gruzinskoj patrističeskoj literatury p. 6—29.

V. V. Bolotov. Ob armjanskom cerkovnom godē 267—76.

K. Kekelidze. Īoann Ksifilin, prodolžatelj Simeona Metafrasta 325—47.

I. Džavaḡov. K voprosu o vremeni postroenīia gruzinskago xrama v Atenē, 277—97.

N. Syčev. Anijskaja cerkovj 252—9.

Странникъ 1913.

N. Levitskij, „Apostol Japonii“ Preosv. Nikolaj, arḡiep. Japonskij I 3—22; 163—178.

A. Kovaljnickij, Konstantinopoljskij xram Sv. Sofii i zamēčateljnija so-bytīia v ego istorii. I 32—53.

S. T., Po očerednym voprosam sovremennoj cerkovno-obščestvennoj žizni. I 65—73 (de augendo numero dioeceseon).

A. Sapožnikov, Kak najti slovo Božie? I 186—197 (de studiis apologeticis magis colendis).

N. Drozdov, Biblija i astralistika (de Daniil Svjatskij) I 198—205.

P. Paromenskij, Duḡovnaia konsistorija i eja sekretarj (istor.-kanon. oč.) I 329—356.

N. P. Travčetov, Končina mira po učeniju Biblii i sovremennym naučnym gipotezam. I 395—410; 483—495.

Al. Ostroumov, Sudimostj i eja poslēdstvija v otnošenii lic duḡovnago zna-nīia I 496—512.

V. Platonov, Psichologija molitvy I 552—577.

G. Meljnickij, Sud duḡovnyj i blagočinničeskīe sovēty I 578—581.

N. Želeneckij, Progress i regress v religioznoj istorii čelovēčestva II 627—659.

M. Strumēnskij. Otnošenje imperatorov k drevnim vselenskim soboram II 675—706.

V. Suḡanov, Nēskoljko zamēčanij o cerkovnom učiteljstvē. (Smysl i granicy) termina „učaščaja cerkovj“ II 707—720.

G. Meljnickij, Osnovnye principy socialjnoj žizni v učenii Īis. Xrista. II 721—726.

